



756045







Petrie I. 584.

VERA EFFIGIES

VENERABILIS SERVI DEI

Lamp.


PATRIS *Lipza.*

JOANNIS
DUNS-SCOTI,
DOCTORIS SUBTILIS,

Ordinis Minorum S. Francisci Conventua-
lium, Coloniae Agrippinae defuncti, & in Ecclesia FF.
Minorum Conventualium tumulati, ad vivum

expressa.

*Fratri Sylvii Tarzali Franciscani Conventu-
ali*



CASSOVIÆ,

Typis Academicis Societatis JESU, Anno 1744.

VERA EFFIGIES

WALTER BARRIS 1831 DEL

P A T R I S

Handwritten signature

JOHANNIS

DUNSCOTT

POETARIS SUBTILIS

Officium Mathematicum & Logarithmicum

in usum Scholarum & in Præceptis

Mathematicis



Printed and Sold by J. B. BARRIS

CASOVIÆ

1831



AD LECTOREM.

Joannes Duns-Scotus secundum quorundam testimonium asseritur esse natus 1274. quò annò sanctissimè in Domino obiit S. Bonavenrura Doctor Seraphicus. Hoc famosissimo Doctore defuncto Sacra Minorum Religio gemebunda iterabat suspiria cum Propheta Isaia Cap. 45. versu 8. *Rorate Cœli de super, & nubes pluant justum* Doctorem. Ecce! mirâ DEI providentiâ mirabiliter disponente, & pufillo Fratrum Minorum gregi ità consulente, uno doctrinæ sole occidente, alter sol Doctorum exoriens gratiosè eodem annò nascitur. Hæc nativitas *usque in sæculum sæculi non delebitur*. Eccli. 39. v. 12. Ideo non delebitur; quia Scotus justitiam dilexit, pro justitia strenuè decertavit, justè immaculatam DEI paræ conceptionem honorifico cum applausu defendit; cui defensionem plurimi Doctores Parisienses firmiter adhæserunt: *Innocentes, & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te*. Psalm. 24. v. 21. Scoto adhæserunt Doctorum plurimi, non tamen omnes; Doctoribus non annuentibus in publica disputationis arena se animosius opposuit: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. 8. v. 46. Si peccatò carentem proclamo Mariam, generosè urfit adversando: *Propria voluntate obtulistis vos discrimini*. Judicum 5. v. 9. Necdum fatis hanc sententiam de intemerata Conceptione

robustissimis argumentis tradidi Religiosis Fratribus meis, eosque stimulanter edocui, ut eandem unanimitè amplectantur. *Vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.* 1. Cor. 6. v. 8. Restiterunt in contrarium adhuc adversæ partis fautores, sed incassum: *Radix eorum exsiccata est.* Oseæ 9. v. 16. Radix rationum ab illis prolatarum exaruit; erat quidem turba resistentium copiosa, & fuerat *lingua eorum gladius acutus.* Psalm. 56. v. 5. Nihilominus per Scoti sapientissima dicitia ad vaginam repositus. *Cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire;* sed nolentes, volentes palmam victoriæ erant coacti Scoto Doctori Mariano cedere, & si non aperte, saltem tacite concludere Mariam esse immaculatam. O Scote Defensor Mariane insignissime! *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo.* Josue 1. v. 8. Iste magnificus Marianus actus suaviter & fortiter impulit: suaviter ob suavitatem Marianam; fortiter verò ob fortitudinem Scoti, impulit, inquam A. R. P. Maximilianum Sigel, Minoritam Conventualem, SS. Theologiæ Doctorem, ut vitam Joannis Duns-Scoti calamò celebraret, ad lucem cum licentiâ Ordinarii Olomucensis proderet publicam, & non minùs famam ipsius plausibiliter propugnaret, quàm diffamationem à suis adversariis inustam tolleret accedente gratia DEI, quem Verbis Isaïæ Cap. 45. v. 15. ità alloquebatur: *Ues DeVs absConDItVs, DeVs IsraëL saLVator,* salvâsti Mariam ab originali, salvâsti Petrum in mari, salvâsti in Disputatione Scotum, *salvum fac populum tuum Domine, & sit super populum tuum Scotiticum benedictio tua. Amen.*



LIBER PRIMUS

De Vere, seu prima ætate Joannis Duns-
Scoti.



Pelles non sum; ideo veram Scoti effigiem arte
pictoria non attento in præsentī depingere,
sed simpliciter delineando præfigo ad vivum ef-
fingere. Locò colorum utar succo atramenti,
locò penicilli serviet calamus, locò tabulæ rasæ
Pictoribus præprimis necessariae adaptabitur papyrus.


CAPÛT PRIMUM.

De Origine Scoti.

HÆc est humanæ virtutis hæreditas, ut longo contex-
tam ordine omnigenæ prærogativæ catenam quo-
dam velut magnetismo attractam indissolubili sibi ma-
ritet connubiò. Ab encomiorum proinde expungitur sylla-
bo homo ille, qui virtutum albo insertus non est. Ubi Com-
pletorium virtutis suum figit tentorium, ibi intonandas laudes
Castrametari oportet. Homerus Poëtarum maximus floruit
Olympiade vigesima tertia, annis post Trojam dirutam quin-
gentis, post Romam conditam sexaginta octo, veniens Athe-
nas in ætate sat matura, sparso protinus de ejusdem adventu

A

tu-



rumore , inexpectata congerentium hominum multitudo ad eum conspiciendum turmatim convolavit. Peroptimè noverunt Athenienses Homeri virtutes, eumque æternæ memoriæ monumenta scripsisse, Iliadem, & odisseam. Habitus est hic apud hos, & alios populos in tanta famæ appretiatione, ut septem Urbes eum suum esse Civem vendicaverint. Testatur Aulus Gellius :

Septem urbes certant de Stirpe insignis Homeri

Smyrna, Rhodor, Colophon, Salamin, Jos, Argos, Athene.

Hunc extraordinarium affectum à tot nationibus exhibitum non nisi sua virtus excitavit, siquidem virtuosè vivere, est verè gloriosè vivere, sola virtus manet expers sepulchri.

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

Sollicitè inquit Marcus Varro, in quo terrena consistat beatitudo? Magnus Hyponensium Præsul *lib. 19. de Civit. DEI.* Testatur celeberrimam olim hanc quæstionem fuisse inter Academicos, Stoicos, Epicureos, & cæteras Philosophantium turmas. Epicurus summam felicitatem posuit in voluptate animi, Aristippus in corporeis deliciis, Diodorus in privatione dolorum, Herillus in scientiâ, Dion in prudentia, Bias in sapientia, Palæmon in eloquentia, Stilpo in amplitudine potentiæ, Gorgias in audiendis rebus jucundis, Antistenes in fama post mortem superstite, Crates in prospera navigatione, Simonides in gratia Civium, Periander in honore, Heraclitus in Thesauris, Chrysippus in ædificiis. Præ his omnibus rem acu tangit Aristoteles, qui summam terrestrem Beatitudinem ait consistere in actione virtutis, seu in virtute tanquam in Basi esse radicatam, subscribit Tullius de Natur. Deor. *Beatus sine virtute hic nemo est, & Seneca Epist. 23. felicitas est vita bona, vult innuere: virtuosa.*

In hoc assumpto opere, si de virtute sermo est, pulchrum est monstrari digitis, & dicier: hic est, hic est inquam, omni virtutum colore depingendus Joannes Duns-Scotus, in quem

vir-

virtus se ipsam indeabilem tanquam ceram indelebiter impressit. Homero Poëtæ obviàm processerunt Athenicolæ, Scotum Theologum processionaliter introduxerunt Colonen-
sium incolæ. Verum est :

Pictoribus atque Poëtis

Quidlibet audenti semper fuit æqua potestas.

Sit pingentibus licitum septem Civitates Homeri in personis septem matronarum muliebri amictu investitarum ad vivum effigiare, sit & fas de Homero asserere : *Septem Mulieres apprehendent virum unum.* Id ipsum fas, & licitum erit de Scoto verificare : Septem Mulieres de Scoto concertantes eundem omni conatu apprehendere, & sibi ipsis fingillatim adscribere nituntur, non quidem septem illæ Mulieres, id est, septem urbes pro Homero litigantes, sed septem Mulieres, hoc est, septem artes liberales :

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, Angelus, Astra.

Affectant hæ Scotum unanimiter, quælibet æmulando fatagunt eum apprehendere, & sibi soli appropriare. Si etiam de septem Civitatibus sermo exoritur, quæ certamen inierunt de consignatione Homeri, plures quàm septem Civitates disputant de incolatu Scoti, quandoquidem tota Anglia, integra Scotia, & Universalis Hybernia domesticum, & connationalem strenuè asserit esse suum. Nonne

Ipsa sibi virtus pretium est, non indiga laudis.

Gloriam his Provinciis non invideo, nec ulli genti, quod suum est, detractum velim. Scotum aliqui autumant natum in oppido Tathmon non procul à Wexfordia. Alii defendunt fuisse natum in Dun, pervetusta Civitate in boreali Hyberniæ parte sita, exinde eum credunt Duns cognominatum. Annales anglici vernaculo anglico sermone conscripti de ejus Nativitate irâ sentiunt : ut Hybernis, & nec Anglis, nec Scotis debeat suus ortus adjudicari.

*Eloquor in laudem, nec fel, nec nomino fraudem,
Quando de Scoto, sumpto cum corpore toto.*

*(Musa haud me turbes) septena protinus urbes
Certant devotis pleno de pectore Votis.*

*Huic concedatur, Duns à qua pluris amatur,
Toti aliàs Scotum mundo volo reddere totum.*

*Scotus lux mundi, lumen subtile profundi,
Omnibus est gratus, felix de sidere natus.*

*Carmina scribantur, de Scoto facta legantur,
Sit pius & sanctus Vatis modulamine Cantus.*

*Acta ejus verè lucem sunt digna videre,
Sunt ea digna aurò, viridi dignissima laurò.*

CAPUT SECUNDUM

De genuina Patria Scoti.

SCOTUS, quia virtuosus, ideo præfatis regionibus gratiosus; apud eum, bene conveniunt, & in una sede morantur virtus, & scientia. Aristippus Philosophus quondam quæsitus à Patre quopiam: quid filio suo prodesset, si literis instrueretur? responsum præbuit: Si nihil aliud, saltem in Theatro non sedebit truncus super truncum. Si virtutem ancillans humilis scientia (non loquor de his, quos secundum scripturam scientia inflat) pedisequæ sequitur, hæc ancilla facit virtutem perfectiorem Dominam. Plato dixit: *Virtute præditum, perfectum esse non posse, nisi ingenio præstet, & artibus saltem quibusdam excellat.* Hanc ob rationem Anglia, Scotia, Hybernia concertat, & adhuc sub iudice lis est, cujus Patriæ Patriota sit Scotus, & qua sit origine natus? Si sub iudice lis est, apertâ cortinâ exiliant testes, formetur iudicium per authentica attestata; & si in ore duorum vel trium stat omne verbum, percipiatur:

Ornatissimus ille Vir, Nicolaus Vernulæus, celeberr-

rimus Lovanii Professor, qui in Panegyrico immortalis memorix Scoto dedicato, dum illum Anglis, & Scotis negat, Hybernis apertè his asserit verbis: *tuus verò est Hybernia tuus ille Scotus, quem tibi celeberrima, ac pervetusta Urbs Dun tanquam æternæ gloriæ pignus, & quoddam ingeniosum miraculum feliciter progenit.* Assurgat ex Hybernia Communitas populi Dunensis, indignè ferens, si quis Cunas Scoti Dunenses aut in Angliam, aut in Scotiam temerario quodam ausu transferre præsumeret. Accedat totius regni, & universis Hybernis ad Scoti doctrinam innata propensio, abinde experienciâ edocebimur: Doctores in Hybernia constitutos, excipias tantundem illos, qui jurârunt in D. Thomæ sententiam, solere sui congeniti Doctoris doctrinam Doctoribus cæteris omnibus summo cum applausu unanimiter anteferre.

Antequam ego genuinum subjungam sentimentum proprium, præscire oportet illud, quòd calamò exarat P. Gerardus Mahu Ordinis S. Benedicti, qui in vita S. Aidani die 31. Augusti, & in additionibus in eandem, quæ habetur in fine tom. 3. nimirum optimos quòsque Authores usque ad annum octingentesimum, imò millesimum, absoluto nomine Scotiæ, & absque nova nomenclatura semper intellexisse Hyberniam; hoc ille pluribus deductis veridicis Testimoniis ex vetustis, & probatis monumentis plus fati probat, & comprobat. Ad hoc assertum magis, magisque corroborandum adsit Richardus Steinhustius publicus in Universitate Oxoniensi Professor, qui ad meum intentum concinnè scribit: *Varii Hyberni putantur in Scotia nati, quorum tamen natale solum Hybernia est.* Subnequit: *Famosus ille Magister Joannes Duns-Scotus, aliàs Doctor subtilis à subtilibus quidditatibus sic denominatus, in Hybernia natus est, tametsi pro Scoto, quasi in Scotia orto habeatur.* Quid Clarius?

Dulcis amor patriæ, dulce retinere suos, dulce defendere suos; date, vel præsentate, sive Anglum, sive Scotum,

qui Joannem nostrum cum suis documentis subtiliter inventis strenuè propugnâisset, magni mihi videhimini esse Apollines; si ad tapetem talis modi unum in promptu ad-duxeritis? Patriam Patriotas tueri necesse est, defendit Roma suum Julium, Carthago suum Hannibalem, Græcia suum Alexandrum, quis scriptitiis armis hucusque manutenuit Scotum? Nec Anglia, nec tu Scotia, Hybernia superest, quæ manum Scoto semper porrigit auxiliatricem. Proflinat in medium Mauritius hybernus Archi-Episcopus Tuamensis in Academia Padavina plurium annorum Dictator publicus, qui Scoti opera in ejus propugnationem clariùs elucidavit, luculentius terisit, Commentariis explicavit. Adveniat Hugo Cavellus hybernicus Archi-Episcopus Armachanus, & Hyberniæ Primas, hic Scotum distinctiùs expolivit, ad Autographorum veritatem reduxit, spuria à genuinis distinxit, adjectis notis marginalibus, citatisque Authoribus pulchriora fecit, & doctissimis scholiis egregiè clarificavit. Compareant Hyberni Abrahamum Bzovium cynico Scotum dente mordentem intrepidè defendentes. Quis pro conterraneo fortiter pugnavit? Sola Hybernia, quæ pro suo Cive causam cum generoso animo suscepit. Quis ex Scotis, & Anglis arma defensiva arripuit? nullus. Primus se opposuit Cavellus Hybernus, Magistrum hunc suum subsecutus est Hugo Magnesijs etiam natu Hybernus, editis in Bzovium binis apologiis. His accrevit Nitela ibidem Franciscanæ Religionis Hybernus, ad singulas injurias minutim respondens, & calumnias omnes veritatis pondere velut sol nubes discutens.

*Nescio, qua Natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse suos.*

Hi omnes Hyberni Scoto suo contubernali diligenter honorem impertiunt, quibus Scotus probabiliùs ut natione Hybernus veniet annumerandus. Nec obstat illud vulgare:

Scotia

*Scotia me genuit, Anglia suscepit,
Gallia me docuit, Colonia me tenet.*

Qui in Scotia nati sunt, alio nomine hyberni nuncupantur, ut patet ex chronologia Anglica fol. 487. ubi registratur: qui Scoti dicuntur, in Hybernia sunt nati; Patria Hybernia est decus Scoti, & Scotus est decoramentum suæ Patriæ. Aquilæ gemebundam non gignunt Columbam, Leones non formidolosum leporem; quia fortes creantur fortibus, & ille in laudem suæ Patriæ est, cujus spes in via virtutis firmata est; quamvis virtutem comitetur invidia, nihilominus laus, honor, & gloria Scotus suæ extitit Patriæ; umbra sequitur solem, & sol non deficit, Scotum invidia, & hæc non officit.

Plautus natus in Campania, Corduba ortus in Hispania, Persius fulgens in Etruria, Terentius apparens in Sicilia, Demothenes exoriens in Græcia, nec minùs patriis limitibus magnum in honorem vixerunt Lucretius Romæ, Pomponius Bononiæ, Licinius Veronæ, Fabius Cremonæ, Calidius Mantuæ.

Documenta damus, quâ simus origine nati.

Aliquæ regiones de rebus etiam non animatis, quas in propriis possident territoriis, magno afficiuntur gaudio. Sic gloriatur Hispania de metallis, Hollandia de serico, Arabia de Thure, Cedris assurgit libanus, Pactolus fluit auro, Hydaspis gemmis intumescit, Vesuvius flammam evomit, laurô Parnassus virefcit. Quare gaudiis non exultaret Hybernia cum suo Scoto utpote thesauro pretiosissimo, qui positus ad bilancem repertus est habere immensum pondus gloriæ.

*Nobile fulsit lumen hybernis
Te modò coram Scotia sternis.
Anglia natum lumen honorat,
Patria Scotum vera decorat.*

*Mobile Cœlum suscipe pronum ,
 Attulit illud tam grave donum ,
 Quod modò fixo lumine cernis ,
 Gratia puris datur Hibernis .
 Aspice Civem laude notatum ,
 Respice natum fronde sacratum ,
 Nascitur ergo mitis ut agnus ,
 Credite , fiet tempore , magnus .*

CAPUT TERTIUM

De infantia Scoti.

JAm hodie fabula non est, quod fabulosè arrogaverant sibi Ægyptii, qui solem apud se commoratum finxère, & sol ipsis tunc hospes videbatur. Joannem Duns Scotum Saranus ex nostro Conventualium gremio purpuratus Ecclesiæ Princeps solem intitulat lucidissimum; quare in Hybernia ille, ut sol non agnoscitur hospes, sed incola, conterraneus, & domesticus. In sua substantia sol defacto numeratur non nisi unus, cui correspondet duplex munus, nasci & denasci; oritur in oriente, occidit in occidente, ubi accedit, ibi non discedit. Sol est Scotus, alius oriens, alius occidens, pro oriente elegit Hyberniam, pro occidente selegit Coloniam. In præsentī non arridet cogitare de Scoti funeralibus, sed prodeat sermo de ejusdem natalibus.

Genethliaca Palladis, & saturnia quàm illustria! natâ Pallade ferunt imbrem cœlos pluissè aureum, natô Saturnô ætatem viguissè auream. Hæc vatum sunt somnia, apud me vera omnia; exortô in terris Scotô pluit largiter Olympus imbrem scientiæ aureum, desursum fluxit sapientia aurea, *omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Veterum monumenta refodio, & Principum fastus revolve, in qui-
 bus

bus dies, quô Xerxes natus, sol est vocitatus, quo die Scotus ortus, Phæbus est exortus. Contrarium sustinet Toffianus lib. 3. hist. Seraph. & docet hoc vocabulum: *Scotus*, latinè ex græco interpretatum umbram, seu obscuritatem significare; quare insultent Momi & Zoili plenis buccis obtudentes: quæ comparatio lucis ad tenebras? quæ similitudo solis cum caligine? quæ æquiparatio luminis, & umbræ? similibus disteriis cum responso obuius recurro: si Scotum umbram esse defendis, scito, quòd sub umbra alarum suarum Scotistas protegat; si illum tenebras compellare non erubescis, noveris: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Si eum nomine caliginis, aut noctis indigitas, crede: *nox nocti indicat scientiam*, & revera Scotus sol est, scientia in hoc sole posuit tabernaculum suum, nobis per suam doctrinam exortum est *in tenebris lumen rectis*, Scotisticus sol lux mundi est, hæc *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ego sinè superstitione novus existo Astrologus, & præfagio Scotum orientem solem esse, qui tenebras ignorantia dispellet, incitiae nubes dissipabit, & eclypses ex scholis removebit univasas juxta id:

*Hic videt extensas nigrante in nocte tenebras,
Sollicitaque manu tenebras depellet inertes.*

In Scoti subsistò cunabulis, qui natus est annò millesimò, ducentesimò sexagesimò sextò; si veritati consentaneum est, quod Andreas Thevet memo at eum obiisse annò 1308. annum ætatis agentem quadragesimum tertium. At si, quod alii intendunt, annis duntaxat vixit triginta quatuor, ejus Nativitas in annum 1274. transferenda foret, quo præfatò annò sanctè in Domino obiit Seraphicus Doctor S. Bonaventura, mirà DEI providentiâ suaviter disponente, & pusillo FF. Minor. Gregi ità consulente, ut uno Doctrinæ sole occidente, alter sol novus nostræ sacræ Religionis ex improviso oriatur, cui illud Poëticum acclamo:

*Quando tuus vulgatur honor, sol nate coruscas,
Affulgent coeptis astra vel ipsa tuis.*

Non minus tua Patria à tuo lumine derivat splendoris, quàm à sole astrorum Principe minora sydera serenantur. In ipsa ætatis aurora quendam exhibuisti maturitatis meridiem, & ubi in puerili ætate primò incipiunt vernare alii, tu in simili constitutione jam quasi autumnasti; adeoque nescias, an ille virtutem cum tempore ex proficua instructione traxerit, an verò illam ex materno utero cum lacte imbiberit, aut divinitus hanc salutem hauserit à Domino, cum leve & immaturum nihil præter ætatem præsetulerit.

Scote ad cunas tuas redeo & fascies, quos tibi virtus detulit etiam ipsæ venerari coguntur fasciæ. Si lachrymaris ut parvulus, lachrymæ te vagiente dicendi salivam in ore meo aperiunt, & in calamum ultro influunt benefico sanè influxu. Magni tuæ lachrymæ sunt emolumenti.

est quædam flere voluptas,

Interdum lachrymæ pondera vocis habent.

Guttulæ tuæ pretiosis sunt gemmis assimilandæ, quæ ex oculorum oceano, quasi ex concha cadunt: nec viva illa chrySTALLUS alium exsudat rorem, quàm qui in gemmarum progenies facilè coalescat. Ego si vel in elinguem statuam transissem, faxea ego hodie lingua forem, quoniam sol in Hybernæ cœii hemisphærio exoritur, quidni faxeus ego Memnon addiscam solaribus afflatus radiis edere sonum laudis nascente sole Scotico. Infantiles hæ lachrymæ mera nobis distillant gaudia, & nulla nobis suaviora delibantur solatia, quæ hoc oculorum nectare non temperantur. Studiorum gustui amarum est, quidquid hic fons lachrymosus non diluit, fletus aganippidos musarum undas abundantius replet, imò hic fletus poculum generositatis nobis propinat, & est lætitiæ classicum ad pugnam scholasticarum disceptationum nos perhumaniter invitans. Sol Scoticus subit in lachrymas ve-
lut

lut in fertilem pluviã boni publici , in auream æstatem, in novos sapientiæ fructus , & novam solatiorum messẽm nos ad metendum, & fructiferos scientiarum manipulos colligendos suaviter, & fortiter alliciens. In his meis prolatis non metior Scoti ætatem, sed vaticinitatem ; siquidem nec folius Alexandri trophæa senium , nec sola Cyri indoles ætatem requisiverunt.

In Nativitate Domini Nostri Salvatoris Delphis obmutuit pseudo-propheticus Apollo. Ego in Nativitate Scoti tametsi obmutescam, & plura non eloquar, nihilominus vices meas subitura est ad cunas Scoticas lyra saphica ex Pindo Apollinis :

*Orpheon adsit cythara sonante,
Phebus accurat digito tonante,
Scoticas cunas repleat tenore
 plenus amore,*

*Charites trinae meritò venite,
Prolis ad cunas citius petite,*

*Ore cantantes hilares per ausus
 prodite plausus.*

*Vivat acceptus neo natus ortus,
Floreat Scotus velut alter hortus,
Proferat fructus studiis repletos
 arte facetos.*

CAPUT QUARTUM

De proprio Nomine Scoti.

AD præcursorem Domini Joannem Baptistam delegati à Pharisæis Nuntii sollicitè inquisiverunt eum interrogantes: *Tu quis es? an Propheta?* responsum audiunt: non sum Propheta ; *An Elias?* vox clamantis vocem dedit: non sum Elias ; locò Joannis respondet incarnata Veritas: *Hic plus quàm Propheta, & alibi: Ipse est Elias.* Audiatur S.

Gregorius: quid est hoc? quia quod veritas affirmat, hoc Propheta veritatis negat? valde namque inter se diversa sunt: Ipse est, & non sum: Ecce Joannes in spiritu Elias erat, in persona Elias non fuit, quod ergo Dominus fateatur de spiritu, hoc Joannes denegat de persona. Joannis nomine Scotus insignitus est, edicite, quis est Scotus? est metaphora aquila, non; est cygnus, non; est honoratus Eques, non; est Leo, non; est rosa, non; attamen vide, Scotus est aquila. Quid est verbi gratia Scotus? repeto, est aquila. Non taceo Gabrielem Cæsarinum, quem fama, & scholæ non tacent, hic altivolæ aquilæ ad solem exploranti pullos suos illud protritum addidit lemma: *Mei non degenerant.* De hac Juniorum aquilarum indagatione vix quisquam pulchrius scribit Claudiano.

*En pater implumes convertit ad aethera pullos,
Et recto flammæ imperat ore pati,
Consulit arduos radios, & luce magistrâ
Naturam, vires, ingeniumque probat.*

Scotus aquila probat suos Scotisticos pullos viam sententiæ Scoticæ avidè insequentes, probat ad solem, non ad solem mundi oculum, & luminare majus, sed ad solem justitiæ, ad Divinum luminare maximum, an videlicet justitia, ut Divinus attributalis radius è reliquis Divinis attributis, id est à radio Divinæ omnipotentiae, à radio Divinæ misericordiae, à radio Divini intellectûs, à radio Divinæ voluntatis, à radio Divinæ immensitatis, & à cæteris Divinarum infinitarum proprietatum fulgurantissimis splendoribus possit videri à sole justitiæ formaliter ex natura rei distinctus? pullos horum radiorum distinctionem concedentes libens, lubens approbat, dissentientes nolens, volens reprobat, & stat pro adducto lemmate: *Scotistæ mei non degenerant.*

Quid est Scotus verbi gratia? est Cygnus, Scoti calamus non nisi penna cygni fuisse animadvertitur. Albus est cygnus,

gnus, alba Scoti sunt omnia, alba in albo à Scoto compositorum librorum singula; siquidem nulla doctrinæ ejusdem nota fuit denigrata, & rejecta, quælibet apud eum sunt *Nota bene*, nulla nota mala. Cygnum sacravit Apollini antiquitas; quia Apollo Deus est Scientiæ, quid obscurius inscientiâ? quid candidius scientiâ? in Scotisticorum cygnorum familia nec defunt, qui cum suo antesignano Scoto sua Apollini divino sacrârunt ingenia. Sapiens alta petit, cygnus sublimia appetit:

Evolat in celsum quamvis olor albus honorem,

Evolat in Scoto celsius altus honor.

Qui vult accommodâ Scotum laudare Camenâ,

Exc cygno pennam postulet ille suo.

Quid est Scotus *verbi gratia*? quemcunque Rex honorare vult, insidebit equo regio, & sic honorabitur, quemcunque Rex honorare voluerit; Scotus Eques est honorabilis, non equo alicui superpositus, sed sublimia scandens, suaviter hic equitat, Christi quem gratia portat. Ad viam virtutis ineundam subdidit ipsi calcar generosa sua indoles, per viam laborum cucurrit Scotus ad metam honorum.

Difficile est, fateor, sed tendit in ardua virtus,

Ipsa tibi pulchrum gloria sternit iter,

Curre vel immensæ quadrupes per olympia fame,

Sic tibi pro meta fama perennis erit.

Quid est Scotus *verbi gratia*? est Leo, *Leo rugiet, quis non timebit?* Scotus nova scribit, quis non pavebit? Leo est lucis amicus, solus Leo inter animalia apertis nascitur oculis, ita lucis est avidus, quod propriis etiam unguibus uterum Leænæ matris dilaniet, eò quod ad lucem erumpere festinet. Fortia rationibus firmissimis corroborata, & apertissima Scoti opera ad communem lucem sunt edita; Leo magnorum virorum aptè ad fortitudinis symbolum exaggerat, sævit in hostes, non in suos, excedit alia animantia, nec enumerat

belluam sibi supparem, Rex est, & primatum omnem antegreditur. Fingitur Achilles fuisse pastus Leonum medullis, ideo tam fortis, animosus, & intrepidus evasit. Imaginemur Scotum Leonum unguis usum fuisse pro calamo, leonino sanguine pro atramento, leonino cerebro pro ingenio, leoninis oculis pro visu, ideo tam perspicax inventus est in suis subtilibus :

Diffugiunt lepores, dum scribis Scote lepores,

Is lepus est, cui non Scoti placuere lepores.

Quis est Scotus *verbi gratia*? est rosa, rosam si à stirpe aspexeris, ex paradiso progreditur, ibidem illi prima nascitur gloria; à rosa non multum distat Scotus, rosa florum Regina, Scotus subtilium Princeps, à Rege, aut Regina uno Princeps distat gradu. Tempus, quo Scotus vixerat, erat roseum; siquidem non erat sine spinis, ideo summopere adamavit adversantium spinas, quia protulerunt ipsi accomodas patientiæ rosas; unde aureum Saturno Deorum omnium Protoparenti non invidemus sæculum, nos potimur Scotophili sæculò floridò, roseò, odoriferò in amoeno Scoti roseto:

Cum Scoto exoritur florentis gloria Sæcli,

Floret biberniaco nobilis axe rosa.

Quis tandem Scotus? nec Rosa, nec Leo, nec Eques, nec Cygnus, nec Aquila, quis ergo cum proprio nomine Scotus? jam dixi, jam scripsi, quod scripsi, scripti, Scotus est *verbi gratia*. Joannes ex hebreismo interpretatur gratia, Christus Unigenitus æterni Patris Filius est Verbum, quod *Verbum Caro factum est*. Exinde colligitur, quòd Joannes sit Christo gratiofus, seu est vera *verbi gratia*. Notitia Nominis est inchoata notitia rei, inquit Festus, formaturos de re aliqua discursum, ante omnia nosse oportet, quo nomine res illa appelleretur, & quam vim significandi nomen illud habeat. Ex hoc authore colligitur, quòd nomen quasi novimen derivetur à præterito, novi, proveniente à verbo nosco, noscis,

no-

noscere; nam per id, quo rem nominamus, eam agnosci-
mus, itaque Joannes noscitur esse gratia.

Nomina sunt ipso saepe colenda sonô.

Noscis, quis Scotus? interrogatio, & responsio casu con-
sentiunt, Scotus non in ablativo casu est verbi gratiâ, sed
est verbi gratia in casu nominativo, ita ut in prædicto casu isti
termini sint convertibiles: Joannes est verbi gratia, & verbi
gratia est Joannes; quandoquidem juxta etymologiam no-
minis Joannes est gratia, & gratia est Joannes. O gratiosum
nomen Joannæum! apud Alemannos, & Hungaros ignes
Festivi celebrari solent in pervigilio S. Joannis: nunc ergo
ignes accende, triumphos appara, laureas nocte, obeliscos
adapta, plausus instrue consolatissima Patria Hibernia. Si-
miles solemnitatum apparatus imperat in suis natalibus Sco-
ticus Joannes, exigit trophæum, affectat nationalistarum
jubilum; ignibus omnia festivis colluceant, astra obsequan-
tur, sol, & luna desistat in contestationem gaudiorum à cur-
su suo, ubique ardeat triumphale Ilium, æra, tympana, tu-
bæ, chordæ, cytharæ festum insonent, reboent buccinato-
rum gaudiosa tonitrua, ista, & plurima his similia apprime
Scotum decent; quoniam Joannes est nomen ejus.

*Terra, Polus gaude, totalis Hibernia plaude,
in te decoris gratia.*

*Titan splendores, gratos det luna nitores,
& nos serenos satias.*

*Vocem edant amnes, Duns dicitur esse Joannes
nomen favoris inditum.*

*Fert nomen magnum, digitò demonstrat & agnum
Splendoris omen insitum.*

*Jupiter haud parcus neonato præparet arcus
polo soloque lumina.*

*Ex Pindo fusæ vos huc concurrite musæ,
Cælo venite Numina.*

CAPUT QUINTUM

De Adolescentia Scoti.

Pulchrius est pulchrum fieri per scientiam & virtutem, quàm pulchrum nasci in corpore. Hoc præcepto Socrates suos instruebat discipulos jubens eos sæpe sæpius inspicere speculum, ut si viderent se corpore constare formosos, laborarent, ut & pulchri excolerentur in animo. Scotus Adolescens figurâ corporis nec erat deformis, nec in gradu altiori nimium formosus, in vultu modestus, in facie pudicus, in ore taciturnus, in fronte serenus, in corporis gestu, & habitu ad inculpabilem morum omnium Symmetriam compositus. Veteres Romani adolescentes in primordio adolescentiæ suæ induebantur togâ virili, ut paulatim inchoarent tendere ad statum virô honestô dignum; deinde ad forum deducebantur publicum, ut communem hominum vitam cognoscerent esse duplicem, virtuosam & vitiosam, priorem ut sectarentur, posteriorem ut abominarentur.

Quod nova testa capit, inveterata sapit.

Adolescentuli in Juventutis flore sunt ad instar ceræ, in quam omnis tum virtutum tum vitiorum forma facilè est imprimibilis. Sunt sicut tabula rasa, in qua variarum imaginum figuræ artificiosô penicillô sunt delineabiles. Sunt sicut juvenilis arbor, cujus tenelli ramusculi aut dextrorsum, aut sinistrorsum sunt flexibiles, & ex ipsis truncellis novi Mercurii cujuslibet indolis sunt efformabiles, cum hac tamen rerum observatione, quòd non ex omni trunco effigiari valeat Mercurius. Ad propositum aliquid de Socrate refert Quintilianus, qui duos habuit discipulos, Ephorum & Theopompum, alterum ingeniosum, quem dicebat egere frænis, alterum rudis ingenii, cui calcaribus opus esse dicebat. Hoc posterius de nostro Scoto experientialiter est observatum; nam ut Adolescens,

scens, prout refert Cavellus cap. i. diligenter quidem, & cum magno adhibitorum laborum conatu litteris navabat operam; nihilominus ob tarditatem sui intellectus, & ingenii hebetudinem pauciores fecit progressus, & tametsi verum sit: *Diilaboribus omnia vendunt*; tamen paucos litterarios fructus in scholaribus nundinis coemere potuit.

*Non omnis fert omnia tellus,
Non omnia possumus omnes.*

Imbecillitatem suam apud se maturius ruminando, in defectu mediorum naturalium, & insufficientis suæ capacitatis se ad Spiritualia convertit. Omne provenire audit à Jove Principium, quod idem est: *Initium Sapientiæ timor Domini*, & ut Ecclesiasticus legit: *Omnis Sapientiæ à Domino*. Quare animadvertit scientiam plus prece, quàm pretio fore venalem, orationem esse clavim ad omnium Doctrinarum Bibliothecam aperiendam; ad frequentem orationem se demum convertit, sedem sapientiæ Mariam nempè Beatissimam Virginem, in qua infiniti thesauri sapientiæ, & scientiæ sunt absconditi, devotus, humilis, supplex frequenter accessit. Quadam die extra urbem sub arbore solitarius Dei Genitricem Virginem multis lachrymis, & indefinentibus precibus exorat, ut intellectum illuminare, vegetum, & ad scientias capeffendas facilem efformare dignaretur. Cui mox somno correpto Deipara dignanter apparuit, quasi ex Cornucopia scientiarum copiam, & copiosam in iisdem perlustrandis facultatem adpromisit; eâ tamen impositâ oneris obligatione, & hac adjecta conditione, ut sibi per hanc gratuitam communicationem, quotiescunque occasio, & temporis opportunitas sese obtulerit, studeat diligenter inservire, & honorem semper promovere Marianum. Expergefactus Scotus summam concepit de tam inexpectata apparitione, & illustrato intellectu lætitiâ, crescente in eo quotidie doctrinæ mensura; cum cursu temporis

C

itaque

itáque crevit sapientiâ, & ætate Doctor sapientiam præstans parvulis. Unde illum adeptus est versum:

O! utinam ingenium potuisset pingere Pictor,
Non foret in toto pulchrius orbe caput.

Juxta tenorem sacræ paginæ: *Sapientia edificavit sibi domum*, hæc sapientia vix non unanimi Sanctorum Patrum calculo est Virgo Beatissima sedes sapientiæ, extruxit columnas septem, septem artes liberales, misit ancillas suas, misit ad amorem scientiarum capiendum pia desideria, & salutaria incitamenta; ut vocarent ad arcem, & allicerent ad scholas, ad lycæa, & Doctorum subsellia; *Si quis est parvulus, veniat ad me, & finite parvulos venire ad me.* Scotus ut parvulus, plus quàm parvulus; quia futurus Frater minor, à Matre sapientiæ in tantum evasit doctus, quod usque in hodiernum instans declaratio sermonum ejus illuminet, & intellectum det parvulis, Fratribus Minoribus.

*Omnia, quæ scripsit, laudi dedit ille Mariae,
Adfuit inceptis Virgo Maria suis.*

Litterarum studio, & virtuti quasi in theatro omnem ille scenam aperuit; etiam cœlitum mores usque ad ipsam vultus similitudinem mirabiliter expressit. Nec obstat ætas, ubi virtus ætatem supplet, & simul in adolescentulo corpore gigas est animus. Lippis, atquè tonsoribus notum est; si animus, qui molaris instar lapidis semper circulatur, non teritur in labore studii, stando, & non circulando minime adaptatur. Quod non movetur, stat immotum, & qui non discit, non vivit; siquidem vita sine litteris est mors vivi hominis.

O quanta deinde gloria ex litteris? togâ, & sagô vestuntur amatores litterarum, id ipsum Pallas indicat, foris armata, intus sapiens. Qualis honor Octavio oratori, & Claudiano Poëtæ ab erectis, & Romæ, & Alexandriæ honorum Colossis! qualis gloria Verrio Flacco! qui ob insignem litte-

litterarum peritiam statuâ donatus, etiamnum immortali nomine vivit inter mortales. Bene sapuit Scotus, qui cum generosis aquilis ad scientiarum lucem evolavit relinquens inscientibus noctuis suas tenebras.

Gravioribus litteris operam dedit sub Professore Wilhelmo, secundum alios Guilielmo, juxta alteros Joanne Varrone, aut Guarrone, quem præceptorem Scriptores communiter illi attribuunt. Hujus rei veritas originaliter desumitur ex sepulchri circuitu ejusdem Scoti apud Colonienses tumulati; & quidem exinde; quia inter quindecim Doctores, quorum nomina, & agnomina ære sunt incisa, ita videndum est: *Magister Guilielmus Varro Præceptor Scoti.* Opera Scoti in libros Sententiarum valde erudita asservantur apud PP. Minores Conventuales Chamberii in Sabaudia. Tutelarium geniorum honoribus dignissimi sunt Pædagogi, & institutores. Unde sicut gloriandum Magno Alexandro de Aristotele, Trajano de Plutarcho, Theodosii liberis de Arsenio, Cæsari de Apollonio, Tiberio de Theodoro Gadareo, Carolo Magno de Alcuino, Carolo quinto de Antonio Corvino, ita gloriandum Scoto de Varrone, Parentes dant esse, Professores melius esse.

Quòd verò Trithemius, Sixtus Senensis, & Bzovius Scotum asserant Alexandri de Ales subisse discipulatum, à via veritatis est dissentaneum. Alensis etenim prius cursum vitæ absolvit, quàm eandem Scotus inchoaret. Annum, quò lucem aspexit Scotus, superius deduximus: Alensis verò decessit 1245. Itaque ante Scoti nativitatem vivere desit, annò saltem unò ultra viginti, vel secundum aliorum opinionem annis fermè triginta, quin & duas classes Doctorum inter Alensem, & Scotum enumerare licet videlicet Doctores Bonaventuram, & Thomam, posthac eorundem discipulos, Ægidium Romanum, & Richardum de media villa, Scotus in tertia post Alexandrum classe gloriôsè successit.

Studium labore queritur,
Quod aut ab astris feritur.
Scotum Minerva deserit,
Cui à Maria nîl deerit,
Jam plura docta resciet,
Quod Musa vatum nesciet,
Doctrinx ab altis aderit,
Quæ sola multùm proderit.
Maria postbac instrues,
In arte qualibet imbuet;
Profunda cuncta capiet.
Quæ non Apollo rapiet.

CAPUT SEXTUM

De Scoti Ingressu in Religionem.

OMnis sacra Religio est strictioris vitæ, mortificationum, & tentationum institutio, & errat, quisquis cogitat in statu religioso dies vitæ otio, & securitate adornari: non ad quietem, sed ad laborem, non ad securitatem, sed ad conflictum, non ad pacem, sed ad prælium, non ad stratum, sed ad rastrum, non ad plumas, sed ad millenas cruces Religiosi vocantur, ad multiplicationem Sacrarum Religionum, multiplicantur cruces, & tribulationes.

Si in cœlis sol tantundem luceret unus, varietas astrorum nos non undique delectaret; si in terrarum orbe linguâ hominum loqueremur duntaxat unicâ, varietas sermonum non abunde satiaret animos hominum; si in hortis Dea florum non floreret, nisi rosa solùm, Mortalium oculis, & naribus varietas florum non satisfaceret; semper solet delectare varietas. Si varietas in omnibus rebus delectat, Scoto aliquem sacrum Ordinem ingressuro, varietatem illorum ad deliberandum antepono; quia diu [deliberandum, quod semel statuendum.

Menteolve, revolve, & aspice Religionem S. Basili
 Religioſitatis ornamentum. Inſtitutum S. Auguſtini Reli-
 gionum cæterarum augmentum. Cæterum S. Benediſti iter
 ad aſtra tutiſſimum. Ordinem S. Bernardi Scutum contra dæ-
 mones fortiſſimum. Carthuſiam S. Brunonis ſecurum vir-
 tutis fundamentum. Vitam ſolitariam S. Romualdi exerci-
 tium pietatis continuum. Aſceterium S. Dominici veræ
 prædeſtinationis indicium. Cœptum S. Franciſci Salutis æter-
 næ instrumentum. Lege, elige, & intellige; quidiſi autem
 Joannis nomen pro ingreſſu alicujus Religionis in Scoto fo-
 ret bonum omen.

Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

Ad hoc intentum verba S. Joannis Baptiſtæ commodè infer-
 vient, dum ſe humilians, & Chriſtum Dominum exaltans ita
 loquitur: Ipſum oportet crefcere, me autem minui. Bap-
 tiſta, & Scotus, uterque eſt Joannes, notate verba, ſignate my-
 ſteria; hoc præteritum: *minui*, provenit à verbo: *minuo*,
minuis, *minuere*. S. Patriarcha Franciſcus in tantum cum
 Baptiſta voluit minui, & ab hoc verbo: *Minuere* Religioſos
 ſuos Fratres Minores ſemper appellandos habere voluerit.
 Scotum utpote Joannem oportet minui, fieri Minorem.

Religio hæc accepta Polo, & venerabilis orbi.

Unde dictum, factum, & ductum eſſe ſcias Joannem
 Duns-Scotum ut Adoleſcentulum bene grammaticis, & hu-
 manioribus ſcholis initiatum à duobus Patribus Minoritis
 Oxonium ad ingrediendum Minorum Ordinem, ut notat
 Joannes Major de geſtis Scotorum lib. 4. cap. 16. In quo au-
 tem loco fuerit ſacrô investitus juxta ſuum deſiderium Reli-
 gionis habitu, evidenter non conſtat, & in varias opinio-
 nes ſe vertentes concertant plurimi. Præcitatus Major aſſe-
 rit indutum fuiſſe Oxonii. Joannes Piſeus apud novum
 caſtrum in Northumbria, Matthæus Ferſchius Ware in Cu-
 ſtodia Leodiendi. Ego in hac opinionum diverſitate, & non

unanimi Authorum de hacre convenientia non intendo fal-
 cem mittere in alienas messes, sciens, quòd de loco dispu-
 tare non sit semper res altioris mōmenti, ut observat D. Hie-
 ronymus inquit: Jerosolymis vivere non est laudabile, sed
 Jerosolymis bene vivere est laudabile, satisq; est, quòd ut alter
 Joannes fuerit minutus, & FF. Minorum corpori incorporatus.

Cornostri neo-religiosi fuit quasi altare Divinum ad con-
 tinua spiritualia Sacrificia, & oblationes præparatum, ità ut
 in eo nihil præter divina exercitia tractaretur. Semper in
 hoc altari arsit ignis devotionis, semper custodiebatur taber-
 naculum mundum, semper positus in eo Crucifixus, id est,
 perpetua in sua mente crucis memoria, semper in illo collo-
 cabantur candelabra aurea igne charitatis ardentia, & ani-
 ma præ dulcissimi amoris affectu difflebat sicut cera liques-
 cens. Nulæ in corde suo aliæ cernebantur depictæ imagi-
 nes, præter effigies imaginativas Sanctorum, aut Sanctarum,
 in quantum ad imitationis affectum alliciunt, omnia fulge-
 bant in eo præ pietate, & fervore spiritûs, & verum erat de
 illo dicere: cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ
 cogitationis diem festum agent tibi; bene notandum: etiam
 reliquiis cogitationum possumus colere Deum, & procul du-
 bio, qui jussit colligi fragmenta de quinque panibus, voluit
 etiam à Scoto coli fragmentis cogitationum. Qualis itaque
 in anno probationis ipse Religiosus esse cœpit, talis usque
 in finem perseveravit; semper obsecundans, semper egenus,
 semper mundus, semper submissus, semper devotus, & exem-
 plaris totus,

Integer vitæ, scelerisq; purus

Erga Deum votis Religionis Seraphicæ obstrictus se exhibu-
 it sicut sponsa erga suum sponsum; sponsa in solum cordici-
 tus adamatum sponsum omnes dirigit oculorum intuitus,
 imò minùs sibi, & plus sponso vivere satagit. Ideo ille non
 jam sibi, sed Deo soli vivere in omni occasione studuit, nefas

se

se perpetrâsse cogitâffet, quotiescunque suum affectum in aliud mundi objectum, quàm in solum amicum Numen, utpote ultimatum rerum cæterarum metam averfivè direxisset.

Erga se ipsum, & personam suam propriam se habuit ad instar Patrisfamilias erga suæ curæ subordinatos domesticos. Patronus domûs omnibus imperans, ab omnibus consuetos exigit labores, ab omnibus sollicitat obedientiam. Sic ille prudenter imperabat suis sensibus non minùs internis, quàm externis, suo intellectui ademit proprium iudicium, suæ voluntati abstulit liberum arbitrium, potentiae visivæ præcepit modestiam, linguæ interdixit loquelam, gustui præscripsit temperantiam, manibus imperavit dexteritatem ad perfungendos labores, pedibus agilitatem severè ordinavit ad omnia obtemperandum.

Erga suos institutos superiores se habuit sicut proles erga suos Parentes; memor, quòd multò periculosius incedat Religiosus ductum sui Superioris negligens, quàm immaturus infans à sua manu ductrice Matre se duci non permittens, & perfectè ambulare nesciens.

Erga suos correligiosos fratres se habuit velut apicula erga flores hinc inde prospiciens; ex iisdem mellificat, volat, convolat, revolat ad succum pro necessitate domestica reportandum. Ille ex suorum Confratrum actis, & factis mellium virtutum succum conabatur attrahere, ex bonis actionibus quidem in sequelam, ex inordinatis autem ad cautelam.

Erga homines sæculares se habuit prout homo mortuus erga mundum. Mortuus oculos habet, sed non videt, aures habet, sed non audit, os habet, sed non loquitur, manus habet, sed non tangit, pedes habet, sed non ambulat. Sic ille oculos quidem habuit, sed mundana non vidit, aures habuit, sed profana non audivit, os habuit, sed vana nunquam elocutus est.

Mortuus est Scotus, Professus ab orbe remotus.

Ipse Deo solis

Servire poscit & Polis.

Noster flos florum, dux, lux, rosa, gemma Minorum,

Claustra silens querit,

Mundi plateas non terit.

Orbem suppressit, cujus mens crimina nescit,

Ora perempta tacent,

Profana queque non placent.

Mutat in his vitam, vix non agit anachoritam,

Cordis amore calet,

Ad sempiterna mens valet.

Ordinis ad morem conservat rite tenorem,

Mysta Dei lenis

Lachrymas refundit de genis.

CAPUT SEPTIMUM.

De Scoti admirando in litteris profectu.

Ipsa scholasticæ ætatis vere jam id exhibuit, quod vix alius in Autumno suorum studiorum tam arte, quàm Marte adeptus est, solam spem scientiæ suæ non contentus alere in herba, sed ut junior illam prævidere in maturitate; ità, quòd nescias, an sub Guilielmo Guarrone suo instructore plus Scotus tunc didicerit, quàm nunc docuerit? In studiis aded profecit Oxonii, ut brevè in omni scientiæ linea acclamaretur Magister; quandoquidem nulla fuit facultas liberalis, quam se plenè possedisse passim in suis operibus non ostenderet.

Logicà tam acutè usus est, ut nihil ultra aliquod novum opus logicale fieri posse videatur, Physicam calluit quàm maximè, Metaphysicam perfectissimè tenuit, ità quidem, ut aliqui sanissimò censuerint judiciò illum in Metaphysicis Aristote-

stoteli præponere; Mathematicam possedit egregiè, Geometricas peritiam tam luculentam demonstrat, ut ad Scotum intelligendum in quibusdam quæstionibus non nisi perfectus sufficiat Geometer; Astrorum notitiam in suis operibus dextre patefecit; de arte benedicendi Rhetorica nemo vadit in dubium; Theologiæ præstantiam in ejus Commentariis ad quatuor libros sententiarum, in tantam plurimi ducunt admirationem, ut Theologorum Principem eum intitulare minimè erubescant.

Omnigenas didicit musas, & Apollinis artes.

Minor erat in ordine Minorum, sed major in serie Doctorum, inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, inter Seraphicæ Religionis Doctores non major Joanne Scotista, & in quodam eventu etiam conveniens cum Joanne Evangelista. Multa calamò suò exaravit Joannes Evangelista, multa pariter pennâ suâ dilucidavit Joannes subtilista. Matthæus vitam Christi Domini patefacturus suum scribit Evangelium, ejusdem exemplò Marcus suum prosequitur notare Evangelium, nec suum Lucas tardat in ordinem redigere Evangelium. Iste Evangeliorum ternio, cum ad manus S. Joannis influxisset, ipsi visa sunt abesse plurima, & reassumptò calamò novam struens Evangelii seriem, duas in illa annectit lineolas: *Sunt & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Quæritur an S. Joannes plus dixerit in suo Congesto toto Evangelii corpore? an his lineolis? Sciscitationi huic ut condignè respondendo obveniam, observandum est id, quod nempe scribitur, cadit sub penna, quantumcunque sit altum, profundum, vastum, & latum; quod verò conscribere nullus sufficit, majus est omni eo, quod cadit in pennam; quod enim scribitur, constat numero & fine; quod verò scribi nequit, est innumerabile, & quodammodo infinitum, quod verificatur de actis, & factis Christi apud Joannem.

Non poterat, numerò Copia major erat.

In Evangelicis Scriptis tres alios Evangelistas superavit Joannes, non quia in suo Evangelio multa enarravit miracula, sed quia in non scriptis omnia complevit, hoc factum Joannis proportionatè conformo cum scriptis mei Joannis; scripsit Socrates de divisione, scripsit Plato de definitione, scripsit Aristoteles de argumentatione, in quibus multa abesse visa sunt. Scripsit de Cyriaca Philosophorum Secta Aristippus, Higefias, & Evchlides; scripsit de Scepticis, & Pyrhonicis Pyrho, Timor, & Evrilochus; scripsit de Cynicis Antistenes, Metrocles, & Menippus; scripsit de Stoicis Herillus, Chrysippus, & Passidonius; scripsit de Peripatheticis Theophrastus, Aristot, & Demetrius; scripsit de Academicis Xenocrates, Palemo, & Crates, in quibus multa abesse visa sunt. Absunt, desunt, non insunt horum Authorum scriptis, naturis, & essentiis rerum congenitæ, à Scoto primitus agnitæ formalitates Metaphysicæ, quæ quodammodo Metaphysicalia sunt Scotistarum miranda in numerum vix non infinitum in omnium rerum entitatibus se à parte rei formaliter extendentia; numera stellas, si potes, & enumera omnium entium formalitates, magnus Apollo eris. Quod igitur super Evangelistas est Joannes, hoc ipsum est Scotus supra Authores citatos, Evangelista cum sua Aquila prævolat Evangelistis reliquis, sic Scotus Philosophis cæteris.

*Scoto sublimes Aquilæ deferte decores,
Scilicet ales bumi serpere tanta nequit.*

Non dico ego, sed dicit Pitseus in 6. mundi ætate fol. 321. Scotus vir ingeniò planè ad litteras factò, & miraculum; non tam hominem acie mentis stupendum, quàm inter argutos Philosophos quendam dixeris Deum.

Loquor, non ego, sed loquitur Hartanus Scedelius: Joannes Scotus Ordinis Minorum Theologus subtilissimus anno

1300. velut alter Apollo floruit, & præ cæteris Theologis quædam opera edidit subtilissima.

Confirmo, non ego, sed confirmat Purpuratus Bellarminus lib. 1. Hist. Scotor. vir fuit acutissimò ingenio præditus.

Approbo, non ego, sed approbat Hector Poëtius: fuit tantæ eruditionis Philosophus, & Theologus, ut ejus ingenio illud sæculum censeri possit indignum.

Corroboro, non ego, sed corroborat Sixtus Senensis lib. 4. Bibliot. vir admiranda eruditionis subtilitate præditus.

Valido, non ego, sed validat de aliis Scriptoribus Trithemius: Vir in Divinis Scripturis studiosus, & in Philosophia Aristotelica versatissimus.

Insto, non ego, sed instat Alphonsus Ciaconius: in Philosophia Peripatetica experientissimus, ob ingenii acumen, & rerum abditarum acuratissimas interpretationes subtilis Doctor vocitatus.

Urgeo, non ego, sed urget Jacobus Philippus Bergomensis in supplemento chronicae: præ cæteris Theologis subtilissima edidit Scotus, quantum valeant ejusdem Comentariorum absque nostro testimonio, ipsimet sufficienter ostendunt.

Testor, non jam ego, sed testatur Joannes Lessæus lib. 7. de rebus Scotor. ad annum 1300. tanto fuit ingenii acumine Scotus: ut Theologiam reconditiorem multis subtilitatibus exquisitis feliciter auxerit, in quibus, quæ in obscuro posita latebant, è tenebris acerrimâ ingenii perspicentiâ e-tuerit; quasi nihil sit, aut tanta difficultate interceptum, aut tam densa caligine involutum, quod Scoti ingenium non potuisset penitus inspicere, & clarè aperire. Hucusque scribit Lessæus in Scoti laudem, sed infra addit:

Verùm hoc illius gloriam aliquantulum imminuit, quòd, quæ investigavit sapienter, non ita Sermonis, & Orationis cultu illustraverit. Ad hoc dictèrium refellendum redeo ad S. Joannem Evangelistam, non obstante, quòd librum Apo-

calipseos tractaverit obscurè, scripserit tenebrosè, & plus in umbrâ, quàm in luce, hoc, inquam, non obstante manet, & manebit semper aquila cæteris Evangelistis sublimiùs evolandò: talis & permanebit noster Joannes cæteros Doctores altiori volatu antecedendo.

Scire oportet, aliud esse scribere rhetoricè stylo florido, & compto, aliud scribere speculativè; quandoquidem bene est notandum, tempore Scoti eam ætatem non colorato orationis cultui studuisse: in qua cultura dicendi Professores non tam verbis nitidè proferendis, quàm in rebus rite intelligendis omnem impendere solent operam. Unde observat D. August. lib. 4. de Doctrinâ Christi Cap. 8. *In simili dicendi genere simplicitas est eloquentia, quæ viros summa auctoritate dignissimos, planèque divinos decet, nec ipsos decet alia, nec alia ipsos loquendi methodus.* Similium Theologorum Sermo, quantò videtur humilior, tantò est commodior, non verborum vntositate, sed sensûs soliditate; quia res divinæ non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs, & virtutis explicantur. Doctores hujusmodi dum nudam duntaxat veritatem proponunt, non expetunt Phalaratos, sed simplices Sermones. Ad hæc percipiuntur & Seneca ad meum propositum lib. 40. ita scribens: *quæ veritati operam dato ratio, incomposita debet esse, & simplex.* Nihil ergo detrahitur Scoti encomiis, neque gloriam ejus minuit, quòd peculiari illò Theologorum loquendi genere, candido, & simplici sit usus Sermonem. Lege Picum Mirandulanum, qui in præfatione est ornatissimus, in descriptione autem Scholastica denudatus, & jejunus, profectò Scholasticæ subtilitates, & dubiorum anfractus talismodi phrasium nitorem secum non compatiuntur. Scotus cum suo inculto latinismo pugnat fortibus armis, bellum instruit Theologis aureum, hæreticis ferreum, illis pacificum, clamorosum istis, aut pacis obtrudens tubam, aut tympani murmur.

Dignus

*Dignus honore
 Alter Apollo,
 Plenus amore,
 Non ego tollo.
 Scribit acuta
 Mente docente,
 Omnia tuta
 Penna placent.
 Maxima tradit,
 Quae lego scriptis,
 Gravide vadit,
 Audio dictis.
 Vix tibi suppar,
 Mira docendo,
 Vix tibi compar,
 Alta legendo.*

CAPUT OCTAVUM

De studio Oxoniensi Scoti.

Perge bonis avibus, perge Oxonium, & felicibus utere fatis; quod haecenus audivisti in Scholarum tenebris, praedicabis in Doctorum subseliis, & super tecta, aquam sapientiae salutaris accepisti, & aquam sapientiae salutaris potabis eos, qui sicut Cervi desiderant ad fontes harum aquarum. Scotus elemento aquae non manet absimilis, quae se formae vasis accommodat cuique, quasi illam parænesim S. Laurentii Justiniani cordi suo incisam circumferret: *transformemur in singulos, communicemus nos omnibus, ita ut illud Apostoli compleatur in nobis: omnibus omnia factus sum.* Doctor noster, quantum fas erat, suo cum genio, & ingenio singulis se accommodare studuit, suus intellectus scientiae liquore instar fontis repletus non potuit non in aliorum utilitatem exundare; quia

non intra se tantummodo hæc rectè facta conclusit , verùm in aliorum quoque utilitatem præclaros hos fecit effluere sapientiæ fontes , juxta Marullum :

*Nec melior vitâ scientia est,
Exemplumque Aganippidum.*

Virgines Aganippides sunt novem Muxæ in monte Parnassi varias scientiarum aquas anhelanter desiderantibus cum Scoto in potum propinantes. Ille est Oxonium profectus, ut Mineram raperet, & se Apollini consecraret; in scholis erat gravis, eò quòd nunquam sciverit esse levis, & ex suis scriptis non plus atramenti, quàm gloriæ promanavit. Tantò litterarum incrementò Oxonii enituit, ut quasi humanas vires, & communem hominum conatum in impendendo studio sit visus transcendisse, quoniam sole meridiano clariùs verum esse probavit illud, quod suprà retulimus de peculiari Dei dono concessæ peritiæ per Virginis Deiparæ sibi apparentis interpretationem. Tantum porrò Doctrinæ lumen Rectores Oxonienses non sub modio abscondendum, sed supra candelabrum collocandum, & luci publicæ exponendum prudentissimè decreverunt. Ad Cathedram itaq; Theologalem regendam suo simul Præceptori, scilicet Guilielmo Varroni suffectus est. Docente hoc utroque dexterrimo viro adeò florescere, & mirum in modum exaltari cœpit Oxoniensis Universitas, ut, quâ data porta ruunt, eò catervatim confluerint auditores ultra communem, & ordinarium trium millium Studiosorum numerum; sub annum 1300. quo tempore Scholasticas ibidem prælegit lectiones Scotus, supra viginti aliquot millia (qui distinctis studuerunt classibus, & ad Scotum nonnisi videndum plures convolarunt) comparuerunt Scholares, prout clarè testatur Pithseus de Academ. Oxon. cap. 6. convenerunt etenim ex omni mundi angulo inauditam illius scientiam Juvenes exploraturi literarum avidissimi, illum tanquam cœleste aliquod oraculum obstupescentes. Nihil reperiebatur tam

ab-

absconditum , abstrusum , & occultum , quod perspicacissimum ejus ingenium non penetraverit , è tenebris eruerit , & radicitus dilucidaverit ; nihil tam nodosum , implexum , & apparenter insolubile , quod ille quasi novus ædipus , aut ut nodum gordium novus Alexander non dissolverit : nihil denique erat vi difficultatum interceptum , vel densa caligine involutum , aut obscuritatibus circumductum , quod Scoti ingeniosa acies non potuisset solvere , enodare , & enucleare . Si quis Isomacho studuerit , agricola fiet ; si Lampidi , Naucleus ; si Archelao , Saltator ; si Homero , Poëta ; si Tullio , Orator ; si Chrysippo , Dialecticus ; si Plinio , Physicus ; si Aristoteli , totus Philosophus ; si Scoto , Theologus , & omnia , in Sphæra scibili credi potuit altitudine mentis olympum excedere .

Hic decor est mundi , qui scibile discutit omne .

Oxonii scripsit præter opera Philosophica eruditissimos in quatuor libros Sententiarum Commentarios profundius in primum , diffusius in quartum . Incœpisse hoc opus post annum 1300. constat , ex secunda sua quæst. Prologi , ubi ait , annò prædictò multos Machumeti cultores fuisse interemptos , & plurimos fugatos , qui annus conflictûs coincidit cum anno suorum scriptionis librorum . Accedit , quòd hæc dixisse putem de anno illo , in quo Cassanus Tartarorum Rex desponsata sibi Regis Armeniorum Christiani filia , Christianam suscepit fidem , qui devictis Persis , pulsòque Ægyptiorum Imperatore , Syriæ jura dabat . Hinc indicto Romæ Concilio Bonifacius validum submisit subsidium , quò egit contra Machumetanos . Denuò pro hoc anno citat in suo opere decretalem , quo Bonifacius Octavus approbavit librum sextum decretalium . Tandem citat pro isto tempore bullam Benedicti Undecimi , qui anno 1303. undecimo Calendas Novembris successit præfato Bonifacio . Colligitur demum , quòd hoc tempore hos exaraverit Commentarios ; nisi fortassis priùs eosdem scribendo absolvisset , & postea suis locis inseruisset .

ruisset. Hôc modô succurrendum est illis, qui dubium mo-
verint, quòd hi Commentarii non sint opus Oxoniense, cum
Scotus jam Parisiis habitaverit, quibus occurrendum est,
quòd aliud sit Oxonii componere, & aliud in lucem alibi ede-
re. Si velim omnia huc spectantia exempla suæ peritiæ hic
adducere, meritò dicam cum Nasone :

Desinet ante dies, & in alto Phæbus arbelos

Gurgite condet equos, quàm consequar omnia dictis.

Ne ratione annorum, vel quorumcunque temporis cursuum vi-
dear prolixus, hoc unum annoto, quòd hos Commenta-
rios plerique eruditissimi authores summis extollant laudibus,
quia in iisdem demonstravit, quòd in rerum abditarum per-
scrutatione alius vix etsi oculatissimus, non contentus exte-
riore quadam superficie doctrinæ, sed ad veritatum profun-
ditatem aspirans; prout disputationum suarum prolixitas, opi-
nionum expensarum varietas, & argumentorum congesto-
rum pluralitas ad satietatem clarè demonstrant. Duabus in
rebus præsertim excellit, primò quidem in famosis propo-
sitionibus universalibus, ad quas tanquam ad Principia quæ-
que subtilissima resolvit theoremata; exinde evenit, ut illis
quasi fortissimis munimentis Scotistæ tum arguendo, tum re-
spondendo evadant robustissimi. Secundò est labor incom-
parabilis in rerum propriis essentiis, sive, ut Scotistæ loquun-
tur, in quidditatibus, & rationibus formalibus indagandis.
Supperadditur demum Scoticæ subtilitatis continuata specu-
lativitas, ob quam requirit Lectorem suorum scriptorum val-
de attentum, indefessum, & laboriosum, alioquin fructu va-
cuus, & absque omni percepto-gustu inanis dimitteretur.

Speculatur, audit, scribit, attendit, legit,

Volvit, revolvit, mentis arcanum regit.

Audire mundus appetit, quidnam docet ?

Ad sint scholares, musa nec Scoti nocet.

*Abdita revelat, sublimia per eum patent,
Nullum volentem scire sua dicta latent.
Oxonienſes nobiles teſtes ſciunt,
Per hunc ibidem doctiores jam fiunt.
Celebris, apertus, clarus, & acutus legit,
Doct̄or perennis gloriæ, nihil regit.
Viget per orbem fama, Sanctitas ſonat,
Doctrina fulget, fulgor ignitus tonat.*

CAPUT NONUM

De Scoti Doctrina Pariſiis edita.

Affluentem, & refluentem Euripum ingenioſus Ariſtoteles capere non potuit ſuò ingenuò geniò, & ingeniò; affluentes, refluentes, & imperſcrutabiles ſcholasticorum dubiorum Euripos iutiliter penetravit Scotus.

*Alter Ariſtoteles noſtro jaçtatur in ævo
Illius Euripos Soliditate capit.*

Quod intellectu, & captu aliis videbatur obduratum, ferreum, æneum, hoc ipſi cecidit liquidum, emollitum, & cereum. Scotus in ſtudio ſuo armatus zelò, ſapientiâ, & modeſtiâ, terna velut charite in campo Palladis comparuit, quibus Muſarum metropolim, novam velut cum ſcipione Chartaginem captivavit, quò verò annò hoc ſapientiæ fortalitium captivavit, & quò annò certò appulerit Lutetiam Pariſiorum eſt incomper- tum. Sub annum 1304. illic domicilium ex majorum ſuorum Superiorum ordinatione fixiſſe luculenter conſtat ex litteris Miniſtri Generalis Fratris Gondſalvi, aliàs Conſalvi, in quibus concedit facultatem, ut ad gradum Baccalaurearûs Scotus hoc caractere digniſſimus poſſit laudabiliter promoveri. Litterarum harum exemplar ex Petro Rudolpho fol. 145. qui eas ex ipſo collegit authographo, hîc ſubſtituto:

In Christo sibi charissimis Patribus, Guilielmo Guardiano Parisiis, Vel ejus Vicario, & Magistris; Fr. Gondisalvi gaudium in Domino. Ad expeditionem dilecti in Christo Patris Ægidii de Legnaco, de quo per litteras vestras certificatus existo. Cùm de alio (ut moris est) eodem calculo præsentando providere oporteat; & cùm secundùm statuta Ordinis, & secundùm vestri statuta conventûs Baccalaureus hujusmodi præsentandus ad præsens debeat esse de aliqua Provincia aliarum à Provincia Franciæ; dilectum in Christo Patrem Joannem Scotum, de cujus vita laudabili, scientia excellente, ingenio subtilissimo, aliisque insignibus conditionibus suis, partim experientiâ longâ, partim famâ, quæ ubique divulgata est, informatus sum ad plenum, Dilectioni vestræ assigno post dictum P. Ægidium principaliter & ordinariè præsentandum. Injungo nihilominus vobis ad meritum salutaris obedientiæ, quatenus præsentationem hujusmodi cum solemnitate solita sinè multo dispendio facere debeatis. Si tamen constiterit vobis, quod Dominus Cancellarius velit duos simul licentiare ex nostris, volo, & placet mihi, quòd Fr. Albertus Metensis, si ad Conventum redire poterit, cum præfato Fratre Joanne debeat expediri. In quo casu mando, & ordino, quòd dictus Fr. Albertus antiquitatis meritò incipere debeat, dicto Fratre Joanne subeo postmodum incepturo. Valete in Domino, & orate pro me. Datum in loco Esculi Provinciæ Marchiæ Anconitanæ 14. Calendas Decemb. anno 1304. Ex hac epistola sufficienter deducitur Scotum Parisiis hoc denominato extitisse anni circulo.

Est charo chari cum charta dextra locuta.

Magnum sanè encomium Generalis Gondisalvi supremi Religionis Seraphicæ Rectoris de hoc peculiari viro, eoque adhuc Juvene hac methodo eundem extollente: de cujus vita laudabili, scientia excellente, ingenio subtilissimo, aliisque conditionibus suis, partim experientiâ longâ, partim famâ, quæ

quæ ubique divulgata est, informatus sum ad plenum. His præconiis ego subnecto sequentia: quæ per alios Theologos magnanimæ virtutis sparsa sunt fragmenta, in Scoto singula tanquam in centro gloriæ abunde colliguntur. Nunc redeundum est.

Ad Parisienses scholares Scoti labores; scripsit ibidem in Magistrum Sententiarum, & distinctas alias lucubrationes, quæ opera & usitata, & laudatissima censentur. Ille Parisiis vix non totam exhaustit populi gloriam, munificentiam ingenii sui assvetus, ut nec horam in bona fama pro Religione acquirenda perdidit. Oceanum dixeris; si flumen suæ fluidissimæ sapientiæ inter omnes longè, latèque diffusum conspexeris, scientia sua erat nota omnibus, & ille vix notus; mirare in Scoto bombycem, & Scotum in bombyce, bombyx dum operatur, operitur, sic ille latuit operando occultus. Claudianus:

*Singula complecti cuperem, sed densior instat
Doctrinæ series, rerumque, sequentibus undis
Obruimur.*

Ast, quod major accrescit subinde homini promerita gloria, eò magis ab invidia solet obfuscari. Similem sinistrum eventum expertus est Scotus Parisiis. Quædam circumferuntur scripta ibidem falsè edita sub ipsius nomine, non authentica, & malè suo insculpuntur nomini, quasi Parisiis contradixisset scriptis illis, quæ pro priori in ordinem contulit Oxonii. Quomodo namque fieri potuit, ut Scotus quæ Junior Doctor melius, perfectius & exactius, in maturiorem verò ætatem provectus scripsisset pejus, & aut cum minori, aut planè nulla docuisset cum laude? Ex Scoti sectatoribus tunc non fuit, qui circumportata hæc falsa opera, & spuria elucidaret, aut suis commentationibus illustrare attentaret: solus Hugo Cavellus hunc est laborem aggressus, & nihil Scoticæ doctrinæ, aut aliquod aliud suo famoso nomini in deumbrationem con-

tingere admisit. Ubique magnæ fortunæ appendix est invidia, nec ulla tam modesta sors unquam extitit, quæ invidentes invidi livoris dentes potuisset evitare, & si non morsum, saltem stridorem evadere. Quò plus adversarii Scotum intendunt ferire, eò plus addidit ille patienter ferre, obfuscantur etiam ipsius in lucem edita opera ut cœlum nigris nubibus circumductum, hæc nubes apud illum nunquam contra suos inimicos parient fulmina, difficilius etenim Scoti patiens mens, quàm mons aliquis movetur, ille ut probus, tamen non sit immunis à probris, & opprobriis, attamen ideo magnò ejus nomen dignum calculò, quod patienter calumniis, & exprobrationibus cedere noverat, Diis proximus fuit; quia eum ratio prudentiæ, & non ira movit, digna res calamò, calamitati eum non cessisse.

Scripta Juventutis fiunt elementa salutis,

Scotum ut quisque ferat, mens generalis erat.

Postulat ignaros redocendo reddere charos

Dogma subinde piis insinuando viis

Dum cathedram scandit, subtilia dogmata pandit,

Hunc dat more tonum, quem dedit ore sonum.

Doct̃or facundus, nulli stat in arte secundus

Scibile soave ferit, Jure Magister erit,

Scotus adaptabit libros, quos semper amabit,

Ille comes fiet, qui dare scire sciet.

CAPUT DECIMUM.

De scribendi modestia Scoti.

Qui proficit in litteris, & deficit in virtutibus, plus deficit, quàm proficit, qui cum Scoto proficit, & in litteris, & in virtutibus, maximè proficit, litteræ non obfuerunt suis virtutibus, & virtutes non nocuerunt litteris, litteræ ornârunt virtutes, & virtutes suæ exornârunt litteras, in omnibus diebus vitæ suæ Scotus fuit & vir-
tuo-

tuosus, & studiosus. Nemo per ignaviam factus est immortalis, & nullus defacto superui, nec pro futuro supererit, qui lentis ignaviæ passibus ad perpetui nominis fastigium evassisset gloriosus.

Tendit in ardua virtus.

Odit inertem gloria, & absque meritorum pennis nemo suo volatu altiora obtinebit. Si Scoti opera tacuissent, conticuisset & fama ejusdem honorem, dum apud eum cultura studii accessit, ejusdem nominis oblivio mox recessit, ideo sua vivit post funera virtus. Refertur de Alexandro magno, Principe magno, quod sua personalis præsentia sudorem quondam elicuerit ex Orphei simulacro, quasi illud impar fuisset ad tanti Principis laudes de condigno edicendas, consequenter pudore suffusum, & sudore perfusum diu steterat. Pariformiter ego in mei Doctoris, & non minùs celeberrimi, quàm modestissimi Authoris encomio elinguis statua desudo, nesciens, an plus necessiter loqui de sua eruditione, aut de sua scribendi mansuetudine, lenitate, & modestia. Strotzius:

*Ipsi haud humanos præclara modestia mores
excut.*

Quamvis ille Divi Thomæ doctrinam multis titulis semper illustrem, magna consideratione dignam, & communi calculo commendatam plurimis in locis impugnaverit, nihilominus Angelicum Doctorem semper intactum reliquit; præsertim quæ in prima parte S. Doctor edocuit, ad eandem præfatur Cajetanus, & scribit: *Joannes Scotus egregiâ præter ceteros hac in re laboravit subtilitate, quippe qui singula ejus partis verba labefactare contendit; attamen ità modestè, & Religiosò digito compescendo labellum, calamo etiam frænum injiciendo, ut nè verbum ullum injuriosum (maluit injurias suscipere, quàm inferre) à sua exciderit penna.* Nec minùs cautè aliquid alibi protulit, quod justam generare potuisset offensam.

Suæ scribendi modestiæ, quod majus est, superaddo, Scotum nihil non Catholicum dixisse, ita ut ejus doctrina nullò suspicionis nævò sit infecta; imò communi auctoritate Ecclesiæ, & ejusdem sacris Conciliis, quæ hoc tempore celebrata sunt, plausibiliter est ratificata.

Nullò laus ejus unquam debilis evò.

Candidam non minùs mentem, quàm modestiam, & sanam doctrinam in Scoto sincerè laudibus extulit Antonius Posselinus: *Scoti, ait, grave extat doctrinæ testimonium, quòd videlicet ejus libri absque ulla aberrationis nota usque in hanc diem in Oecumenicis Conciliis cum omnium approbatione perduraverint inviolati.* Illud D. Augustini de laude charitatis verissimum est: ille tenet, quidquid patet in Divinis sermonibus, qui charitatem servat in moribus. Haud mirum fuit, si ingenium Doctoris subtilis modestia, & charitate præditum altissimos sensus eruere potuerit ad veritatem indagandam. Nunquam Scotus suam sententiam protulit in aliorum vel injuriam, vel offensam, vel depressionem, vel vilipensionem, vel dishonorationem; quia quorum vel sententias convellit, vel opiniones excutit, facit adeo moderatè, ut subtiliter quasi latrando, minimè mordere videatur.

*Bella serit nunquam, quia pacem postulat omnem,
Pacifical tutas ambulat ille vias.*

Se defendere non est alios offendere, sua propugnare, non est contra alios dimicare, nec est nova bella seminare, propria scripta semper vera, & illæsa velle conservare. Audiat Guilhelmus Vorilongus loquens de Scoto: *Mirum tot sublimia scribens, quòd in errore non sit deprehensus aliquo.* Non immeritò Sacræ inquisitionis generale Tribunal anno 1620. favorabiliter præcepit doctrinarum, aut librorum censoribus, ut quidquid Scoti esse constaret, intactum, inviolatùmque permetterent. Profectò qui ad ejus scripta oculos convertit, facillè videre poterit, quòd non duntaxat pietas Christia-

na Orthodoxo Doctore digna, verum etiam doctrina, modestia, & humilitas pari passu in iisdem incedant. Propria interdum placita non secus, ac aliorum bene visa scripta Scotus bilance discutit æquissimâ, ut vel inde non olum animi sincerus candor, sed veritatis, & non gloriæ studium in eo vixisse appareat legentibus, & quia se ut modestum in omnibus humiliavit, in omnibus invenit gratiam, humiliando exaltatus est, & de illo peroptime verificatur: *qui se humiliat, exaltabitur.*

Ejusdem modestam humilitatem, modestiam priusquam vivo colore depingam, me ad S. Joannem Evangelistam converto, hic in meliorem redegit ordinem suum Evangelium, quam Matthæus, Marcus, & Lucas, nihilominus ita modestè scribit in illo, quod nec tangat Matthæum, nec lædat Marcum, nec vulneret Lucam. In tali norma, & forma constitutus erat Scotus, qui nulli Authori, contra cujus sententias strinxit modestè calamum aliquam inusserit notam. Evangelista Joannes operam, & oleum in suis operibus non perdidit, sed oleo Romæ ante portam latinam abundavit. Scotus quæ Doctor, & lux mundi oleo sapientiæ etiam non caruit, quia sapientium Virginum lampades non extinguuntur, quam diu oleo charitatis replentur. Præterea ita modestus, & humilis erat Joannes, quod tribus, aut quatuor vicibus de se loquens in Evangelio, semper se nomet discipulum, & neutiquam se proprio compellet nomine. Loquitur de Christo Domino, loquitur de Apostolo Petro, loquitur de se ipso; loquens de Salvatore, vocat eum Christum, loquens de Apostolorum Principe, nominat eum Petrum, loquens de se ipso, non nuncupat proprio se Joannem nomine, fortè non alio ex fundamento, nisi modestiæ, humilitatis, & submissionis. Suum nominis Patronum in via voluntariæ abjectionis sequendo nunquam Joannes Scotus pati voluit titulum Doctoris, characterem Magistri, aut denominationem Professoris publici; verum unico hoc ardebat desiderio, ut inter mi-
no-

nones agnosceretur minimus, imò simplex coram quolibet appellari petiit discipulus. Respexit ideo Deus humilitatem servi sui, & in omni vix non Universitate exaltavit Scotum humilem. Iste est ordinarius humilitatis effectus, quò profundius se quis deprimit, eò altior exsurgit. Joannes Baptista, quia de se asseruit: *Me oportet minui*; audiit: *Non surrexit Major Joanne Baptista*. Petrus, quia confessus est: *Exi Domine, quia homo peccator sum*; percepit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Paulus, qui doluit: *Non sum dignus vocari Apostolus*; intellexit: *Vas electio- nis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus*. Ex humili Scoto fit tuba doctrinæ resonans in orbe toto; elevari eum oportebat; dum namque in via doctrinæ magnam voluit extruere fabricam cellitudinis, prius cogitavit de fundamen- to humilitatis. Quo honore affecisset antiquitas tantam vir- tutem? Submissam hanc modestiam maximis, ad sidera us- que protendentibus extulisset encomiis; quò magis enim in umbra humilitatis ille abscondi affectabat, eò honorificen- tius hæc virtus eum clarificabat. Plura ejusmodi commemo- rarem, nisi sermonem meum interrumperet Scoti modestia, & calamo meo indiceret scribendi interstitium.

*Scotus multa notat; humilis, modestus,
Ipsam nulla latent, nulli molestus.
Stat cum corde bono verax amicus,
Cui in docendo calamus pudicus.
Dignus amore manet favente mente
Nullum tangit atrox mordente dente.
Præstat cuique suum, nec unquam pungit,
Nullum spernit opus, sed blandus ungit.
Hic in amore vigens laudibus habetur,
Illim Phæbus amat, quivis reveretur.
Thomas Angelicus scripsit sua bene,
Non malè subtilis, sua scripta tene.*

LIBER SECUNDUS

De ætate, seu juvenili ætate Joannis Duns Scoti.



Discendos necesse habeo in hoc præfixo opere colores. Color viridis repræsentat spem, color purpureus humilem violam, seu humilitatem, color albus castitatem, color flavus solsequium, obedientiæ symbolum, color fuscus, aut obscurus paupertatem, color pallidus verecundiam, color rubeus mortificationem. De his coloribus ad depingendum meliùs Scotum in præsentia agendum est.

CAPUT PRIMUM

De vita Religiosa Scoti.

Mundus est simia, præpostero affectu tam diu ad pectus suum proles stringit mundanas, donec enecet. Mundus servos Dei à Divino servitio fraudulento syrenum cantu revocat, quod idem est, ac primogenituram vendere pro lenticula. Mundus est fatale balneum, quod homines conscientia albâ ingressi, turpissimi æthiopes egrediuntur.

*Mundus non mundat, sed mundos inquinat: ergo
Qui manet in mundo, quomodo mundus erit.*

Scotus se conformat mellifluo Bernardo, & experitur, quòd homo in Religione vivat puriùs, cadat rariùs, surgat velociùs, incedat cautiùs, purgetur citiùs, irroretur frequentiùs, quiescat securiùs, moriatur confidentiùs, & remuneretur copiosiùs. Interea in mundo immundo immunda sunt omnia: ruina in peccata frequens, tarda resurrectio, incauta conversatio, crebra inquietudo, periculosa quies, mors expa-

vescenda, & post hæc omnia ingratiſſima laborum omnium
compensatio.

Ambitionis amor, quærendi nominis ardor

In mundo est, credit se gratis tangere cœlum.

Verum est, quòd omnis sacra Religio mundi vanitatibus è dia-
metro opposita, sit hortus, sed confitus spinis, sit convivi-
um, sed amarum, sit cœlum, sed obnubilatum, sit lectus,
sed non floridus, sit conversatio hominum, sed mortuorum,
affectare esse Religiosum, est anhelare esse mortuum. Hujus
vana est Religio, & ille homo minimè Religiosus censendus
est, qui sibi, & suis ex integro nondum resignatè mortuus est.
Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde mundano,
semper debet cogitare Religiosus, & *Si quis venit ad me, &*
non odit Patrem suum, aut Matrem suam, non potest meus esse
discipulus, id est, nequit esse perfectus Religiosus, & novus
meus in schola Christi scholaris. Scotus adhuc pusillus utro-
que orbatus parente veridicè fateri potuit: *Pater meus, & Ma-*
ter mea dereliquerunt me. Sed quis, dic mihi, assumpsit te?
de Matre non diu anceps hæreo, sed de novo Patre peristo du-
bibus, & in bivio, quòd me vertam, nescio. De Matre, ut di-
xi, non afficior dubio, sedes sapientiæ Mater Dei Sacratissi-
ma, prout suprà lib. 1, cap. 9. relatam est, adoptavit Scotum in
sapientiæ filium. De adoptante Patre consultum vado S.
Petrum Chrysologum acutissimum Theologum, qui Ravennæ
Ecclesiastes in hæc verba semel fari cœpit: hodie quod au-
dituri estis, stupent Angeli, auditus non capit, & mens non
attingit. Quid hoc? hoc non aliud, nisi quod homo audeat
ad Deum confidenter dicere: Pater noster. Et revera homo
non auderet, nisi Sancta Mater Ecclesia hisce nos stimulet
monitis: præceptis salutaribus moniti, & Divina institutio-
ne formati audemus dicere: Pater noster. Ecce his præcep-
tis salutaribus monitus, & divina institutione formatus Jo-
annes Scotus, dum de statu Religioso amplectendo ante Cru-
cifi-

cifixi imaginem secum deliberaret accuratiùs , irretortos in Crucem Christi reflectens oculos se in filium adoptari ardentissimè exoptavit. Tandem evibratis à Crucifixo Domino in Scotum oculos, se percipere quasi crederat: Filius meus es Tu. O gaudium! si filius, tunc non sinè Matre, sinè Maria; & non sinè Patre, sinè Christo omnium Religiosorum Parente, *Patrem nolite vobis vocare super terram; unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* Scotus haud dissimili eventu est acceptatus in Dei filium, sicut Apostoli in Christi discipulos, adè prodigiosa extitit horum vocatio, ut hodiedum orbis obstupescat Christianus; quomodo tam subitò abierunt in Apostolos, quos hodierna luna adhuc spectavit piscatores, audiverunt hæc pauca verba: Venite post me, & en: relictis retibus secuti sunt eum. Mira promptitudo! hanc D. Hieronymus Comment. in Matth. cap. 9. elucidat: fulgor ipse, & Majestatis Divinæ radius, qui in humana Christi facie elucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat discipulos aspectu.

*Omnia collustrans, hanc primùm ad littora classem
Conspexi, hanc oculi detinuère mei.*

Vide nunc magnetismum, quò Scotus in Religionem, & quò in collegium concitantur Apostoli, fulgor fecit in facie, præcipuè in oculis. Erant oculi Salvatoris nostri arcus amoris, spicula radii, quibus alibi à sponsa sauciatus, sponsus in amorosum usque gemitum. Vulnerasti cor meum; in uno oculorum capiebatur. Erant oculi Christi retinæ, quibus amor Divinus non pisces, sed piscatores cogeret in nassam. Erant Redemptoris oculi, scopuli, ad quos allisæ Apostolorum rates; dum videbantur subire naufragium, fortunatè eluctabantur in Prætorium Ecclesiæ. Erant denique hi oculi in amore duces, quibus suavi violentia trahebantur discipuli in sui neo-Magistri societatem. Amor ex aspectu nascitur, ut testari cogitur Scotus, si faciem Christi non fuisset ardentè intuitus, fortè ab eadem non gratiosè conspectus. Vidit, &

obtutu unico cor suum in æthnam amoris ita succendit, ut non diu suspiraret cum sponsa, trahe me post te; sed rupta mora curreret in odorem suavitatis statûs Religiosi. A Christo Domino itaque vocatus ad Religionem Scotus, non ad delictum, sed austeritatem, non ad otium, sed negotium, non ad honorem, sed ad laborem; quos etenim Divina Sapiencia vocat, vocat ad vigilandum, & non ad dormiendum.

Elucescit hoc ex verbis Christi Domini in horto Gethsemani his vocibus ingementis: *Tristis est anima mea usque ad mortem. Quare tristis? fors, quia factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram? Forsitan, quia ecce appropinquat, qui me tradet? Fortassis, quia, tanquam ad latronem exciis cum gladiis, & fustibus comprehendere me? nequaquam.* Huic dubio ut subveniam, tres omnium oculis præsentio Apostolos: Petrum, Joannem, & Jacobum. Vidit Christus Simonem, qui vocabatur Petrus, & *relictis retibus secutus est eum*; En virtutem obedientiæ in Petro, quàm optimè præfiguratam. *Diligebat Joannem Jesus, quia Virgo electus ab ipso, & Virgo in ævum permansit*; Ecce meritum Religiosæ castitatis in Joanne bene adumbratum. Jacobus fuit major sinè pera, sinè saculo, sinè tunica, fuit major in sua egestate, quàm si resedisset in regno, aut ad dexteram, aut sinistram; viden prærogativam Religiosæ paupertatis in Jacobo concinnè effigiatam. Nunc aperienda est cortina, ut videamus motivum, quare tristis sit anima Christi usque ad mortem? nucem frangit, & nucleum detegit S. Matthæus: in horto Gethsemani venit Christus ad discipulos suos, & invenit eos dormientes. Dormivit Petrus, dormivit Joannes, dormivit Jacobus, volo dicere: quoties Petrus, Joannes, Jacobus, id est, obedientia, castitas, & paupertas dormit in aliquo Religioso, toties usque ad mortem tristis est anima in Christo. Religiositas est quoddam onus, & sufferenda sarcina, sed scire oportet Religiosam sarcinam, & jugum Christi esse suave, & leve.

Sarcina cum soleat quævis onerosa videri;

Sola tamen Christi Sarcina corda leuat.

Felix Scotus, qui in Religionem Seraphicam vocatus nullum obdormire est observatus votum suæ Religiositatis. Addidit viam mandatorum currere, & in auditu auris obedire; eloquia ejus erant eloquia Domini, eloquia casta, optimè prænoverat avertere oculos suos ab omni eo, quod puritatem posset lædere Religiosam. Vixit egenus, & pauper, sperans, quòd ille, qui aliquando salvos faciet filios pauperum, nunquam obliviscetur clamorem pauperum. Non potest aliquis Religiosus in sua Religione dulcedinem nuclei Religiositatis experiri, nisi priùs duram observantiæ Religiosæ fregerit nucem. Hanc generosè fregit, & degustavit Scotus, in quo vivente fuit mors mundani spiritûs, omnia mundana sepulchro oblivionis infodit, sibi mortuus, & mundo vixit Crucifixus. Inde tam factus sapiens; quia initium sapientiæ timor Domini.

Quærit apis florem, roris, solisque favorem,

Sic quærit florem Scotus, pietatis odorem.

Non vocat horrorem, dum debet adire laborem.

Cùm juxta morem Deus ipsi tradat amorem.

Non est, quem lædit, cunctis submissus obedit.

Paupertatis amans est nudo corpore clamans,

Et Venerem nescit, qui non nisi cœlica rescit.

Stat verè tutus; quia Christi dicta secutus,

Est humilis vultu, caret omni in corpore cultu

Est sine delictò, nullum vult carpere dictò.

Vivet in æternum Scotus post omne modernum,

Legis servator, veræ pietatis amator.

CAPUT SECUNDUM

De vita solitaria Scoti.

ST! Silentium! novus Pythagoras, Scotus adest, nè ad scientiarum flumina delitiantes excubias fuscitetis. E diametro distat privatum à publico, solitudo excludit hominum conversationem, & notorium se nunquam comparitur cum occulto. Pluris æstimat DEUS homines, privatos, & solitarios, quàm publicos, & mundo notefactos; quod patet in vocatione ad officium Apostolatûs, non elegit Augustos in folio, non famosis atavorum ceris conspicuos in aula, non Platones in Stoa, non Tullios in ambone, non inflatos mundi Principes, sed ignobiles, & solitarios piscatores è cymba in collegium adscivit Apostolicum, & eos in Ecclesiæ inaugura- vit Principes. O quàm beata solitudo, quæ sola est beatitudo!

Bene qui latuit, bene vixit, & intra

Fortunam debet quisque manere suam.

Solitudo est Religiosorum terrestre cœlum, cella, & cœlum ut cognata sunt nomine, ità agnata manent significatione; cœlum dicitur à celando, quod celatur in cœlis, hoc est in cellis, celatur DEUS in cœlis, celatur & apud Religiosos in cellis, Sancti Angeli cellas habent pro cœlis, æquè delectantur in cellis, ac in cœlis.

Taliter gavifus est Scotus semper solitarius notum habens illud Malleoli: quoties inter homines comparui, minor homo redii; quia ubi multitudo, ibi plerumque confusio. Diem, & noctem ità distribuit, quòd auroram musis amicam consumperit speculando, diem transegerit studendo, & noctem devotè precando.

Ad loca sacra manus per opaca tempora noctis

Tendens, dicendo verba, precésque Deo.

Ethnicum fuit Senecam imitatus, cujus sunt sequentia: in
hoc

hoc me recondidi , & fores clausi , ut prodesse pluribus pos-
 sim , nullus mihi per otium dies transit , decessi non tantum
 ab hominibus , sed & à negotiis publicis. Scotus omnium
 amicus , sed paucis familiaris , in privato laboravit , oravit
 pro bono publico , illa Theologica scripsit in cellis , quæ re-
 periuntur in cælis , & quò magis absconditus latuit , eò ma-
 gis ejusdem fama patuit. Scotus secutus Bruxillum Romanum ,
 qui sæpiùs cum Diis , quàm cum hominibus conversabatur ,
 qui nulli unquam vixit molestus , qui nullam est animadver-
 sus gratis perdere horam , semper occupatus. Fuit etiam non
 absimilis Marchioni de Santilana à suis deprehenso , dum li-
 brorum lectioni intentus erat , & ab illis interrogatus : cur
 ità solitarius domi hæret ? responsum dedit : quin imò tunc
 maximè sum solitarius , quando inter libros non converfor ;
 domi verò non vivo solus , qui inter plures eruditos , & fa-
 mosos authores vitam dego , quorum vita est expers sepulchri.
 Complacuit sibi Scotus in Philopæmo Neapolitano Martis
 pullo , ille cum frequenter solus peregrinaretur , intra se me-
 ditabatur ; volvebat , revolvebat , cogitabat , recogitabat :
 quid si hoc in loco militare ducerem exercitum ? quid si
 in hoc monte , in hoc campo , in hac valle militem ad pu-
 gnam ordinarem ? quid si hoc in loco hostilem conspicerem
 copiam ? quid si à lateribus vel ante me , vel post me , vel su-
 pra , vel infra in meos commilitones inimicus insurgeret ? quâ
 figurâ statuerem aciem , quomodo invaderem , quomodo vim
 vi repellerem , qualiter pugnarem , qualiter devincerem ?
 Ecce hæc , & his similia , quæ meditabatur secum solo , in
 felicem actum redegit in publico. Scotus studiis occupatus ,
 aut suo intellectu subtili solitarius exspeculabatur dubia , aut
 adversariorum argumentis obviam procedendo solvit nodos
 gordios , aut adinvenire conatus est nova scholasticorum
 tentamina , nunquam solus , nisi inter homines minùs peri-
 tos repertus fuisset.

*Dum vires, annique sinunt perferre labores
assuetus semper*

Sapientissimè dixit Scipio Africanus à subjugata Affrica sic cognominatus: *Nunquam sum otiosus minus, quàm cum otiosus, id est, cum solus semper me diversis laboribus exercere consuetus.* In hunc Heroem scribit Tullius: *Magnifica vox, & magnè virò digna, quæ declarat illum & in otio de negotio prudenter cogitare, prævidere, providere, & in solitudine de omni necessitate secum loqui.* Hunc fervidè secutus est Imperator Carolus quartus cor Bohemiæ, qui frequentius sibi solitarius vivens, toti Regno Reipublicæ, & Imperio optimè consulere solitus. His vestigiis insistens fuit Carolus quintus Cæsar invictissimus, inauditò hætenus exemplò spretâ Romani Imperii coronâ, & cæsareò sceptrò depositò unicam per totum Imperii sui tempus exoptatam selegit solitudinem, unde loquitur de illo Baroy: *Carolus major fuit in sua eremo, quàm in imperio, major in caula, quàm in aula, major solitarius, quàm mandatarius.*

Hanc vivendi viam ardentè affectavit Philippus Tertius Hispaniarum Rex, ante mortem in hæc verba prorumpens: *Outinam! corona Regia caput meum non cinxisset, profectò fuisset conducentius vivere in deserto, quàm in Regno.*

Exemplis hominum non indigemus domesticorum solitudinis secessus vehementer anhelantium; ipsemet Deus ter Optimus Maximus ab æterno solitarius, amator silentii æternus, per totam æternitatem non nisi unicum verbum fuit locutus, Filium suum unigenitum producendo, qui Filius æternum suum sequendo Patrem specialis etiam in hoc terrarum orbe extitit æstimator solitudinis. Attestatur S. Mat. cap. 4. *Ductus est Jesus in desertum;* in desertum, quod sol benigno intuitu suis solaribus radiis irradiare non dignatur; in desertum, ubi frigus rigidissimum interdicit floribus, Zephyris, & favoniis omne recreationis commercium; in deser-

fertum, ubi silentium tam altum, ut etiam ascendat arborum culmina, quibus vix garrula insidere præsumit avicula; in desertum, ubi tristitiam spirant omnia, & in ipsis rivulis querula audiuntur murmura; denique Jesus ductus est in desertum ab omnibus desertus, exemplum dedit nobis, quem admodum ille fecit, ita fecit & Scotus in sua cella tanquam in cœlo semper desertus.

*Nobile regnum dulcis eremus,
Huc pia semper pectora demus.
Abditus antrô mira docebat,
Plurima scribens ipse latebat.
Nomina mundi rite vitabat,
Vivere solus Scotus amabat.
Noxia sprevit gaudia mundi,
Flamma cavet damna profundi.
Fulgida solus sidera vidit,
Sic sibi cœlum scandere fudit.
Jam bene vivit noster amatus,
Et bene vivet mente beatus.*

CAPUT TERTIUM De Taciturnitate Scoti.

Profectò Satyrus ego eodem ex ore calidum, frigidumque protulero, si unam eandem rem & commodam, & incommodam esse contendam. Hanc unicam eandem rem linguam fore humanam sacra perhibent oracula: *Mors, & vita in manibus linguæ*; Si linguâ bene utimur, usus virtuosus, si malè, usus vitiosus. Arma sunt opportuna instrumenta etiam ab his legibus concessa ad vim hostium reprimendam; attamen si latro, si sicarius, si hostis stringat eadem in insontem, ô quæ lachrymæ, quæ vindictæ! Ignis, & aqua sunt elementa humanæ societati utilia; quæ tamen diluvia

perniciosa ab aqua, & quæ incendia maximè noxia ab igne sunt causata, nemo nescit. Omni aquâ rapacior, omni igne potentior, omni telo, & gladio acutior est lingua hominis. Nunc famam rodit innocentium, nunc vitam theonino dente carpit, nunc lacessit convitiis, nunc aures exulcerat, nunc adulatione demulcet, nunc dissensiones fovet, nunc amicitias dissolvit, nunc mendaciis grassatur, nunc animum nugis detinet, & ad præsentis vitæ oblectamenta omnia traducit. A lingendo linguam dicimus; quia lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiando, fera pessima est lingua, arctæ custodiæ meritò à rerum natura mancipata, duplici circumducta muro, dentium scilicet, & labiorum.

Sepibus inclusit linguam natura duabus,

Nè citò profiliat lubrica lingua foras.

Loqui nescit, qui tacere non scit, homo tunc bene loquitur, quando prudenter didicit tacere. Humanæ linguæ sunt superiores, & inferiores in ore dentes instar limæ appositi, ideo Scotus sua verba prius bis ad limam, quàm semel ad linguam apposuit, sciens perfectè linguam fore clavim ad omnium vitiorum conclavia. Quid, & quomodo deceat hominem loqui, ille maturè præmeditabatur juxta illud: quomodo, aut quid loquamini. Suis superioribus loquebatur rarò, & non nisi reverentialiter, confratribus familiariter, extraneis suaviter, discipulis doctrinaliter, doctis sapienter simplicibus benigniter, domesticis modestè, omnibus accommodè, sed breviter, & succinctè. Prudentis est, teste Menandro, & debito loco, & debito tempore aut loqui, aut tacere, dum tempore opportuno, & loco sic exigente homo tacet, optimè loquitur. Hanc ob rem facilè est conjicere, cur, quos Homerus ingeniorum vertex, sapientissimos effinxit, eosdem & silentes, seu pauciloquos esse voluerit. Scoto abunde notum erat, silentium esse sobrium perorandi usum, & specimen præferre alicujus gravitatis; lo-

qua-

quacitatem verò maximum dici debere indicium imprudentiæ. Rectè simè dictum est à quodam ex veteribus: *Prudenter loquendo habemur ut homines, silendo ut Dii*; accedit illud Simonidis: *Locutum fuisse poenituit, tacuisse nunquam*. Hinc Scotus, tametsi plurima sciverit, attamen cum Thebano Epaminonda aut pauca loquebatur, aut cum Pythagora posuit ori suo custodiam; apud illum & aliquem Numam tanta fuit tacendi disciplina, ut uterque præ cæteris Musis præcipuè illam fuerit veneratus, cui *Tacitæ* nomen indiderat, Socratem imitando, ut conservetur in mente prudentia, in vultu modestia, & in lingua silentium.

Conticuisse nocet nunquam, nocet esse locutum,

In fræno linguam sedulus usque tene.

Scotus Doctor Marianus Sacratissimæ Virginis exemplum est se statum, quæ cum sacræ paginæ testimonio non nisi septies traditur fuisse locuta, bis cum Angelo se salutante. Luc. I. bis cum Elisaberh. Ibidem vers. 40. & 46. Semel cum Christo Domino in nuptiis Canæ Gallilææ: *Vinum non habent*. Joan. 2. Semel cum Ministris, ibidem vers. 1. Septimò tandem in templo Jerosolymitano ad filium: *Quid fecisti nobis sic?* Luc. 2. Hæc tacendi opportunitas non decet tantum matronas, quibus est corona, & ornamentum silere, sed etiam viros in quacunque occasione constitutos, nisi necessitas exigat verba silere, quod tu facturus sis, hoc tecum habetutè, & tacitè, quod scis, nescias, quod audis, quasi non audires, & quod vides, aut vidisti, nè unquam videris, etiam alium tacere quod voles, primus tace. Demaratus cum in confessu hominum sileret, rogatus, an id faceret ob sermonis, & verborum inopiam? respondit: *Prudens semper, fatuus nunquam silere potest*; quia ex verborum copia noscitur celebris inopia, Amentix argumentum manifestissimum est lingua effrenata, & ab opposito: primum sapientiæ rudimentum est, discere silere, & dediscere loqui. Unde semper meditandum

est, ut magis taciturnitas, quam dicturnitas; si loquendi imminet opportuna commoditas, cum Scoto verba tua matura prius cogitatio prudenter ponderet, antequam in apertum incauta lingua profiliat, ubique remanet tutum silentio præmium.

*Tu linguam fræna rectâ rationis habenâ,
Nè te confundat; si verba superflua fundat.*

Silendum, ut aliquando meliora proferamus silentiò; in quem finem prius consideranda sunt verba, antequam effundenda, nè censoriâ Democriti ferulâ pœnas luamus, quam cuiquam imperitè disserenti incusserat, dicens: *Hic non dicendi peritus, sed tacendi imperitus videtur*, & de alio loquitur in suis moraliis Divus Gregorius: Ille scit rectè dicere, qui ordinatè novit tacere. Bene ad rem scribit Macrobius lib. 7. Saturnal. cap. 1. nihil est tam cognatum sapientiæ, quàm locis, & temporibus aptare sermones. In loquendo Scotus omnes observavit modestiæ regulas; non fuit ille interlocutus aliorum dictis, semper prospexit, cui loquatur, & hoc nunquam nisi præmeditatè, superflua cavebat verba, nè garrulus audiretur, interrogantes brevibus expedivit, arcana ab aliis non habebat in more positum curiosius indagare, oculos prætulit verecundos, ad sibi loquentem intentos, prudentiorum hominum arbitrio, & nutui se humiliter submitit, studiis, operibus, & conatibus eorum consentiens, nemini indignè adversatus, nulli denique fuit in tædium, aut aliquod incommodum; cum in omni eventu semper apud se decreverit: modò tempus tacendi, modò tempus loquendi.

*Lingva laudatur modicum loquendo,
Rara si profert, reliquum tacendo,
Semper in verbis, minimè probatur,
sævus amator.*

Qui

*Qui cupit multis nitide placere
 Discat os semper reticens habere,
 Multa confestim reprobo loquentem,
 laudo silentem.*

*Scotus evitans vitium loquela
 Factus est cunctis studium sequela,
 Tu sequens illum, vitiosa fræna,
 rectus habenâ.*

CAPUT QUARTUM De Temperantia Scoti.

Justitia distribuit, prudentia eligit, fortitudo vincit, & temperantia temperat, frænât, & sæpius compescit id; quidquid in hominis appetitu est ferû, inordinatû, & immaniveturum. Hæc virtus in Scoto tantas infixit radices, quòd non alios fructus, quàm fructus meritoria abstinentiæ, quotidie produxerit copiosiores. Tale is comedit, quale per excessum stomachum nunquam lædit, tantum bibit, quantum duntaxat suum guttur linivit; esculamenta erant herbæ vulgares in Monasterii horto fluminis alluvione humectatæ. Gloriabatur olim Cato apud Plutarchum: *Se hisce diebus nihil plus accepisse ad comedendum, quàm quod in agris comedisset, & bibisset,* pariformiter gloriari potest Scotus de similibus agrorum ferculis. Sinè temperantiæ ope tam facilè nullus homini ad cæteras virtutes patet aditus, hæc virtus est certa cognitio utendi cibò, & potu naturæ necessitatibus obsequente. Est quasi securis, quæ rescindit illa omnia, in quibus gustus lascivire assolet, supervacua, & redundantia à se abigit, severè vetat, & utitur prudenter iis, quæ sanitati sunt opportunè conducibilia, temperantia est verissima mater sanitatis; quia natura paucis contenta. Lucanus lib. 4.

Discite , quàm parvo liceat producere vitam ,

Non quantum natura petit , sed vivere paucis.

Præscierat noster subtilis ; quòd quantum edacitas , & bibacitas internam mentis rationem obfuscet , tantum abstinencia eam purificat , defæcat , & vegetat , usque eò , ut humanam , & non pecudum vitam videatur homo agere . Ille semper sobrius fuit , usus naturali , eoque omnium præstantissimo condimento , quod est *Esuries* , & non citius alimentum per gustavit , nisi apud se experiretur illud : Cibi condimentum est fames ; quandoquidem omni famelico omnis cibus etiam insipidus redditur sapidus . Alias escas non admisit , quàm sapore simplices , simplicibus obvias , & obviè acquisibiles , in quibus nullam desiderabat dulcoris voluptatem , sed earum degustatione naturalem comedendi appetitum in paucis explevit . Corpori quædam subtraxit alimenta , ut per illorum abstinenciam fatiaret , & locupletaret animam , sibi frequentia accedente superiorum annutu indixit jejunia , quibus tanquam spiritualibus conviviiis utebatur ; Unde virtutem temperantiæ non minùs , quàm corpus abstinendo aluit , non hominem mensæ , sed mensam homini datam , intelligens juxta illud Ciceronis : *Non ut edam , vivo , sed , ut vivam , edo.* Mensa apud ipsum mensura fuit , sed mensura tum in esu , tum in potu valde parva , & minuta ; si etiam interdum animus suus studio , & labore fatigatus ad hilaritatem quampiam revocandus erat , subinde miscuit tristitia lætis , non quidem in comedendo , aut bibendo , sed sublimia , subtilia , utilia , cum adstantibus discurrendo , & plus pavit mentem , quàm stomachum esurientem . Temperantia

Est virtus placidis abstinuisse cibis.

Pacem Scotus semper amavit cum hominibus , sed perpetuum gessit bellum cum Cerere , & Baccho , plures submerguntur in vitro , quàm Oceano , non semper sanitatem , & longævam vitam propinant vites , qui multum bibunt , parum bi-

bibunt citò morituri, fortè vites hinc nomen fortitæ sunt, ut eas *evites*, & immodicum illarum usum quis non *Vitandum* novit. Vinosum nectar in poculum Circes sæpe degenerat, & campana Vitis non unum Hannibalem dissolvit. Delicata fercula pro appetitu suo nunquam appetiit, nec aliquando somniavit cum Vitellio, neicio, quæ atagenum jecinora, Phasianorum cerebella, Murænarum lac, Numicidas volucres, arabicum alitem, & his similia. Bacchus, & Ceres exarmant Palladem, non convenit, ut docti, & sapientes venatores fiant, & aucupes, quorum pectora sunt scientiarum emporia, litterarum seminaria, artium receptacula, minimè decet volucrum in aère volantium, ferarum per sylvas properantium, & natantium funerum fieri sepulchra, sepulchrum patens non sit guttur eorum, quod peregrinum eructat Adria, quod nutrit Erymanthus, quod mittit India, apud helluones ingluviei victimatur, non apud abstemios sapientes, non apud Scotum, qui sobriam duxit sinè labe vitam, & cujus natura semper paucis vixit contenta. Propertius lib. 3.

*Rore mero, lachrymisque suis jejunia fovit,
Jejuno stomacho sæpe negavit aquam.*

Sobrietas virtutum pene omnium seminarium est, quam unam qui habeat, cæteras facillimè habuerit; qui enim huic januam aperit, jam quasi reliquis certum habitaculum collocavit. Plato temperantiam vitæ hominum custodem appellat, si viæ custos hominem custodit in perambulando, felicem obtinet itineris Comitem temperantiam, tam facilè non vacillabunt pedes, si ductricem in capite sequentur sobrietatem; qui sanus, & beatus in hac vita esse appetit, hanc perfectionem exercere necesse habet. Addit Xenophanes: nihil in homine nasci mali posse, qui temperantiæ modum fuerit amplexus; quotquot sapientes priscis illis temporibus agniti videbantur, summis encomiis deprædicantur temperatissimi.

Tanta

Tanta est virtutis hujus excellentia , quòd non modò Philosophos recta ratione utentes , sed & maximos Principes cum fama recommendavit perpetua , ut Fabricium magnum Principem , Curium nobilitate præstantem , Catonem gravitate insignem , aliòsque multos huic virtuti quotidianam præstantes operam.

Quemadmodum hyeme præterlapsa , & æstate apparente nauta navigium deducit , miles arma apprehendit , agricola falcem acuit , viator fiducia plenus iter aggreditur ; sic Scotus temperatè vivens spiritualement falcem acuit ut agricola , tanquam nauta contra procellosas undas , contra mundanas cupiditates vela apposuit , & utpote viator rectum tramitem apprehendit ad coelestia , qui temperantiã supereminet veram cæterarum perfectionum possidet tincturam , homo temperans adversis non prosternitur , rebus secundis non luxuriatur , lætis non corrumpitur , vanam gloriam non venatur , nulla felicitate gestit , non se in cothurnum erigit , voluptates non consecratur , & quod plurimum est , se , & alios hujusmodi exemplo obsecundantes cœlo , terræque quàm maximè commendat.

Sapientia , dum sibi ædificavit domum , etiam mensam posuit , in qua sapientiæ alumnis cum Sacerdote Melchisedech nonnisi panem , & vinum obtulit ; proposuit panem , sed mysticum ; addidit vinum , sed miscuit ; salis non meminit ; quia nullum insulsum hæc mensa agnoscit convivam . Ad has de prædicandas spirituales epulas decem philosophorum prædicamenta obstupescunt . Isthic repetitur miraculum in substantia : substantia panis transubstantiatur in substantiam Christi . Miraculum in quantitate : Corporis Christi quantitas non est circumscriptivè , sed definitivè in loco . Miraculum in qualitate : Christus est coloratus , & tamen in hostia invisibilis . Miraculum in relatione : Christus acquirit novam à Sacerdote citationem , non tamen novum esse . Miraculum

lum in actione: verba consecrationis habent vim adductivam. Miraculum in passione: Christus manducatur, nunquam tamen consumitur. Miraculum in tempore: Corpus Christi in eodem instanti venit è cœlo in terram. Miraculum in loco: Corpus Christi simul est superius, & inferius. Miraculum in situ: quodlibet membrum alteri aptissimè connexum est, & tamen ubi caput, ibi pes, & caput, ibi Christus indivisibiliter totus est in toto, & totus in qualibet parte. Miraculum in habitu: vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix, & iisdem in sacra Hostia Christus non vestitur. Ad hanc frugalem mensam in suo Sacerdotio Scotum invitavit incarnata Sapiencia inquiens: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Scotus manducavit, & bibit, ideo dapes supernas obtinet.

Quisquis amat ventrem, trahit in discrimina mentem;

Adaugēt ille vitia;

Dum quis erit potus, titubabit corpore totus,

Subibit ima supplicia.

Sobrius armatur, dum Bacchus rite fugatur,

Et non adhaeret terrestribus.

Abstemius vivus jejuno est corpore divus,

Sociare poscit cœlestibus.

Scoto quando dedit quis fercula, pauca comedit,

Macerando membra corporis;

Sanus vivebat, lympham de fonte bibebat,

Refecit ima pectoris.

CAPUT QUINTUM

De amicabili Conversatione Scoti.

BLanda hominum conversatio est plurium animorum adintegrata unio; de unione rerum non in unam abitur sententiam, alia est unio insitionis, quâ furculus

H

inse-

inferitur stipiti. Alia est unio ignitionis, quâ ignis, ferrum, aut aliud metalli genus unum redditur. Alia est unio transformationis, quâ cibus naturalis transit in substantiam aliti. Alia est unio compositionis, quâ materia, & forma unum constituunt compositum. Alia est unio aggregationis, quâ lapis super lapidem impositus facit unum acervum. Alia est unio structionis, quâ calx, lateres, ligna, ferrum, & vitra, & hujusmodi unum ædificium constituunt. Alia est unio amicitiae, quâ duo vel plures efficiuntur unum, ideo bonum, & jucundum habitare fratres in unum. Pretiosissimus est unio concors fraterna unio. Ille è cœlo nititur tollere solem, qui in mundo attentat auferre ab hominibus amicabilem conversationis unionem. Scotus quamvis paucis vixerit familiaris, nihilominus omnium perseveravit amicus.

Inter dilectos fuerat sors prima sodales,

Unica fortunis ara reperta suis.

Amicabilis conversatio humana est gemma ex thesauro Divinitatis effossa, quandoquidem nec ad intra, nec ad extra Deo placuit esse finem conversatione; nihil in suo thesauro habet DEUS admirabilius, quàm unitatem in pluribus, tres Personæ amoris vinculo sunt Unus DEUS. Ad extra auditur: *Delectiæ meæ esse cum filiis hominum.* Nec DEUS, nec Scotus semper solus, conspexit se Scotus in suis confatribus velut homo considerans se in speculo, erant illi cum illo, & ipse cum ipsis cor unum, & anima una; & si aliàs amicus cum altero amico est dimidium animi, frater, & frater tunc temporis erat alter ego, Scoti loquela, tanquam rara, fuit singulis chara, unicum ejus verbum erat instar solis quodammodo, quod verbum pectus audientium accendit amoris igne. Si quis infirmabatur, partem ægri tudinis in se compatiendo suscepit; si quis doluit, dolorem sua suavi facundia commiserando mitigavit; si quis affligebatur, nè afflictio afflicto succresceret, omnia in merum solamen conabatur vertere; si quis fuit læsus,

læsus, vulnus sensit, ut proprium; scivit prosperare adversa, emollire dura, laborantibus manum adungere, pressos succollare, plorantibus lachrymas abstergere, gaudentibus solatia affundere, sua denique suavi conversatione omnem attrahere in amorem, Catullus:

*Nulla domus tales unquam contexit amores,
Nullus amor tali conjunxit fœdere amantes.*

Multi numerantur amici tempore felici, & quamdiu fervet olla, tamdiu fervet apud quosdam amicitia; amor proprii comodi, amor propriæ utilitatis, amor interessatus neutiquam est signum veræ amicitiae; solus enim amor honesti est amicitiae flamma, quæ flamma in sole est sine fumo, & in vera amicitia scintilla absque dissensionis incendio. Bellè annotavit Cassiodorus. *Vera amicabile conversatio tantum inter bonos oritur, inter meliores proficit, inter optimos conservatur.* Semel amicus, semper amicus, sicut inimicitias convenit esse mortales, ita congruit, ut contractæ ab hominibus amicitiae sint immortales. Catenas amicitiae circulis, aut annulis oportet constare rotundis, unde prout circuli, ita amicitiae sine careant. Apud Lælium Tullium non debent amicitiarum esse, sicut aliarum rerum satietates, aut fastidia; hoc perspectum habuit Scotus, apud quem semel inita amicabile conversatio omnibus annis in plenius incrementum debuit veterascere, ejus amicitia cum suis amicabilibus ætate crescens radices egit profundas, & inevellibiles; falsum erat de ipso hoc asserere: qui procul ex oculis, procul est ex limine cordis, cum suis confidentibus etiam absentibus nunquam cessavit firmiter stabilita sua amicitia, tametsi non Oxonii, non Parisiis, sed Coloniae, aut alio in loco incolatum fixerit, nunquam fuit in alio loco alius in mente locatus, semper idem, semel amicus, semper amicus, amici animi colloquuntur affectibus, si ob locorum distantiam fas non est loqui linguâ, vixit amicorum memoriâ, cum anima plus ibidem vivat, ubi amat,

quàm ubi animat ; Ille Oxoniensium , & Parisiensium Do-
ctorum mansit amicus usque ad aras juxta Virgilium :

*Ipsè ego quidquid ero , cineres , intèrque favillas
Tunc quoque non potero , non memor esse Tui.*

Sanum est monitum Epicteti : cum quibus conversamur ,
tribus modis maturè consideranda occurrit conversationis op-
portunitas ; conversationi plerumque vel intererunt conver-
satores præstantiores , vel statu inferiores , vel conditione æ-
quales . Præstantiorem addecet audire , bene percipere , & si
opus est eidem obtemperare ; Minorem modèstè , & pruden-
ter persuadere , æquali in negotio rectitudinis æqualiter con-
sentire , & nullum supra ipsum inferre mandatum ; cum
par in parem non habeat imperium . Hac regula usus Sco-
tus nunquam in conversatione hominum in aliquam incidit
contentionem , omnibus volens satisfacere impressum animo
suo monitum circumtulit :

Disce Minorem

Ducere , majori cedere , ferre pares.

Ad hanc sententiam apprime quadrat illud , quod in homi-
num conversatione spargitur de Senibus , Juvenibus , & me-
dia ætate præditis : in hominum conventione senes debent
esse litteræ vocales , id est , seniorum utpote virorum expe-
rimentatorum est voces proferre , & anteloqui . Juvenes de-
bent esse litteræ mutæ , id est , Juvenum parùm est interlo-
qui , sed tacere . Viris congruit pauca colloqui , id est , de-
bent esse consonantes , & seniorum prudenti discursui con-
sonare , hoc ad effectum semper retulit Scotus .

Omne hominum genus addidicit sibi reddere amicum ,
inferiores non contemnens , superiores rectè vivendo non ti-
mens , in reddenda officiositate neque exactor , neque negle-
ctor apparens . In se severus , aliis blandus , parcus in ser-
mone , locuples in judicio , famæ alienæ nunquam invidus ,
famæ,

famæ, & propriæ, & suæ Seraphicæ Religionis indefessus
 seminator, rumoribus, suspicionibus, temerariis judiciis mi-
 nimè credulus, sed potiùs illis, qui per speciem simulationis
 ad nocendum subrepere voluerunt oppositissimus: denique
Verus Israëlita, in quo non inventus dolus. Veritas apud eum
 semper stetit fortissima. Afferant alii militem esse fortissi-
 mum; quia militaris exercitus, & Pontifices, & Imperato-
 res dejecit. Probent alii naturam esse fortissimam; cùm nul-
 læ leges naturam corrumpere possint. Demonstrant alii, sci-
 entiam esse fortissimam, quando eruditos coronat, & exal-
 tat. Insurgant alii, & disputent, amorem esse fortissimum,
fortis ut mors dilectio; mors tamen & dilectos vincit. Exhi-
 beant alii, astra esse fortissima; quia constellationes sunt fa-
 tum, quod vix potest declinari. Cogitent alii, fortunam es-
 se fortissimam; quoniam fortuna universalis mundi Domina.
 Ego partes teneo Zorobabel, qui veritatem propugnat esse
 fortissimam, & ait: *Super omnia vincit veritas.* Veritatem
 hanc fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus
 pretium ejus, si veritas non est in aulis, si non in castris, si
 non inter politicos, si non apud Mercatores, si non in ro-
 stris, si non in curiis, reperienda erit inter homines mente
 candidos, quorum est pusillus grex, cui annumerandus cum
 sua veritate in omni conversatione est Scotus; quia ubique
 amatus.

*Dum venit aliqua mentio,
 Gaudere bene me sentio;
 Loquendo Scotus innotuit,
 Dixit polita, quæ potuit.
 Fluida fuerunt diſamina,
 Et charitatis affamina.
 Vixit pudicis delictium,
 Cunctis peritis illicitum.*

*Hic mille laudes continet ;
Quia mille palmas obtinet ,
Versando semper placuit ,
Qui docta quæque sapuit .*

CAPUT SEXTUM

De Scoti laborum occupatione.

SCotus à teneris affvevit scholis, solem imitatus, qui manè sub aurora vix nascitur, jam ignem spirat, ussit maturè volens pigros incendendo urtica manere, segnes pungebat, diligentes ungebat; quin imò Scotus non vixisset, si nihil addidicisset; cùm vita sinè litteris censeatur esse mors vivi hominis, qui in juventute discit, crescit sapientia, & ætate.

Discat, qui nescit, nam sic sapientia crescit.

Avis ad volatum, homo factus est ad laborum conatum, hominis est distincta fors, prudens alius, imprudens alius; operatio imprudentis, quæ est sinè meta, & scopo, labor est inanis; exercitatio hominis prudentis cum bene præfixo termino nunquam consistet in vanis. Non applicat Apelles penicillum ad tabulam, nisi picturam idæaliter præfixerit; non sculpsit Phydias truncum, nisi præoverit, qualem effingere condeceat mercurium. Nauta non pandit vela, nisi felicem viam ad portum prospexerit, nec ullus hominum maturo- rum jaculatur ad metam, quam non prævidisset. Nunc qualem studiorum metam Scotus studiis indefinenter incumbendo sibi proposuerit, in præsentī oritur quæstio?

Aliqui litteris diligentem navant operam, ut aliquid sci- ant, & curiositas est. Alii se studiis occupant, ut sciantur, & ambitiositas est. Alii in via doctrinæ desudant, ut per adeptam scientiarum copiam nummos lucrentur, & cupiditas est. Alii diémque noctémque musis consecrant, ut pro- mo-

moveantur, & vanitas est. Alii student (quorum est pusillus grex) hunc unicum ob finem, ut gratis alios erudiant, & charitas est. Absque necessariis non ædificatur domus, sine mediis non obtinetur finis, Scotus etiam media libravit, dum de fine studiorum secum deliberavit. Non obstantibus in Seraphici Divi Francisci regula his verbis stantibus: Non curent nescientes litteras, litteras discere, erga fratres juniores in-eruditos ille ductus motivô charitatis, & didicit, & docuit; plurima addidicit, ut alii per ipsum edocerentur, plurima docuit, quæ cæteri religiosi discerent, sciens religiosorum vitam activam ducentium munus esse, non sibi solis vivere, sed aliis doctrina spirituali in dies proficere.

Pietas, & studium duæ sunt firmissimæ columnæ, quibus innixa aliqua sacra Religio stat supra firmam petram tutè collocata; supra hanc petram ædificavit Scotus inexpugnabilem scientiarum basim per religiosam suam probitatem, & studiosæ occupationis diligentiam, prænoscens & auroram musis esse amicam, & silentiosam noctem Pierydum non fore inimicam, tempore matutino solitus studere, nocturno assuetus repetere, & memoriæ mandare. Bene Ovidius:

Quot fructus sylvæ, quot flavas tygris arenas,

Mollia quot martis gramina campus habet,

Tot mala pertulimus, quorum medicina, quiesque

Nulla, nisi in studio, Pierydumque mora.

Magnos profectô, & honestissimos proficuorum studiorum fructus in hac mortalium vita Scotus obtinuisse refertur, qui omnes ingenii sui facultates sine bene proposito in id maxime contulit, quod & prodesse sacræ suæ religioni laudabiliter potuerit, & sui memoriam præclaro litterarum testimonio recommendare poteris. Ab omnibus id libenter didicit, quod nescivit, aliquid scire laus est, pudor est nil discere velle; ideo etiam plurimis ille redditus est sapientior, quia sapientiam partim in quæstu, partim in laborum æstu adeptus est;

qui

qui enim ab omnibus accipiunt, omnium locupletiores fiunt. Ille non accubuit mensæ, nisi post peractos matutinos studiorum labores, quieti se non accomodavit citius, nisi studiis fatigatus, auroram solis præventricem precibus quotidianis prævenit; quia in malevolam animam non introibit spiritus sapientiæ, & alibi: initium sapientiæ timor Domini.

Quis mihi sit dignus sapientis nomine, queris?

Percipias: virtus cûi sapit, ille sapit.

Virtuosus, studiosus extitit Scotus, à juventutis flore convixit illi devotio in omni negotio, industria in agendo, consilium in providendo, maturitas in operando, celeritas in conficiendo, dexteritas in consummando. Hinc cum sua devotione, industria, consilio, maturitate, celeritate, & dexteritate ubique Scholarum non exiguam consecutus est prærogativam, & indelebilem famæ reminiscenciam.

Quotidianum laborandi exercitium satis, atque satis recommendant Brachmannes, qui secundum introductam consuetudinem suos homines impransos extrudebant de mensa foras, quando utilis alicujus operæ sedulitatis, & certi laboris exercitationem pro priori non demonstrârunt. Parthi, laboriosus populus, more quoque recepto observârunt, nè quis die exorto ulli victum præberet, nisi laborando diffuso circa caput sudore permaduisset; experti erant, quòd ferrum absque usu obducatur ærugine, vestis non induta consumatur à tineâ, stagnans aqua inficiatur fætore, corpus absque commotione variis afficiatur languoribus, & homo sine labore non sat sanè conservetur. Vade piger ad formicam, hæc non habet ducem, nec præceptorem, nec Doctorem, nemo ipsam ad laborandum stimulavit præter naturam, parare in æstate cibum sibi, & congregare in messe, quòd in hyeme comedat. Ad laborem, ad sudorem cum formica homo nascitur, hoc ipsum author naturæ præceptô firmavit, dum
homi-

hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum, collocavit. Apud Scotum labor fuit assiduus, fuit & probatio, & effectio virtutis quotidiana: nulla enim virtus incedit per desidiam, omnes, nullâ demptâ, pergunt per iter laboris; qui rosam carpit, qui alios flores colligit odoriferos, necesse habet manum prius applicare ad spineta, quàm roseta; qui è nuce vult degustare nucleum, prius laboret frangendo corticem, qui anhelat felicem messem, prius aret, seminet, & occet; labor, & fructus laboris sunt quasi ex natura dissimilia; quadam tamen amicabili societate inter se conjunguntur; dulcia siquidem nullus promeruit, qui non prægustavit amara. Euphirides:

*Nullus socors celebris vir est,
Labores generositatem pariunt.*

Vitæ otium est unicum peccatorum perpetratorum negotium, sunt sibi conjunctissima: tempus terere, & malè se gerere, laborando itur ad astra, ad cælitum castra, otiando pervenitur ad infera, & amittuntur regna supera. Nihil agendo malè agere discimus, ubi incipiunt otia, ibi inchoantur vitia, homo otiosus communiter vitiosus.

Otia pulvinar sabbana dicere vetusti.

Nemo unquam homo bonus, & honestus vitam segnitie transegit, humanam vitam nihil magis instruit, quàm assuetum animorum, tum corporum laudabilia exercitamenta, quæ omnia diu noctuque apud Scotum usque ad terminum exhalandæ suæ animæ sunt veridicè comprobata, habuit alta mente repòstum, quòd, qui scelera, vitia, & omnis generis crimina nescit, ea facillimè addiscet à Magistra desidiam, quæ desidiam est virtutum noverca, verecundiæ scopulus, puritatis contagio, pudoris naufragium, fomes libidinis, luxuriæ incentivum, & castimonie paricida.

*Nè famam offendas, ad opus laudabile tendas,
Nemo labore vacet,*

Aliàs perennis laus tacet.

Ipse laborabis, prout ales chara volabis,

Ad res tende manus,

Et permanebis Janus.

Conspectâ aurorâ non sit tibi surgere mora,

Manè cantat avis,

Sit tibi labor suavir.

Surgendo pronus colit indiga rura colonus,

Tempus Scotus amat,

Oriente sole clamat.

Post tot sudores, post tot, tantòsque labores,

Illi quæque dies

Fit jam suprema quies.

CAPUT SEPTIMUM.

De Humilitate Scoti.

SCotus etiam ut profundissimus Theologus semper mansit Parvula, & scholæ non nisi studuit parvæ. Ad scholam hanc parvam instituendam prærequiritur aliquis Magister, scholares parvuli, quos sedulo oportet facere *declinationes*, & consuetas memoriæ mandare *lectiones*. Scotus fuit discipulus in schola Christi, quæ fuit schola parva; Christum Dominum insigniunt nomine *Magistri* omnes quatuor Evangelistæ cum illo legislatore interrogante: *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?* Magister iste ad suam scholam vocat parvulos: sinite parvulos venire ad me, qui discunt declinare à malo, & facere bonum. Componunt pro loco, ut unus alterò sit major, contendunt, quis eorum videretur esse major? Scotus in hac schola semper primus, semper Major; qui major est in vobis, fiat sicut minor, Scotus
fa-

factus est frater Minor, consequenter major, & primus, ex, & in hac schola discipulus non ascendit, nisi descendat juxta illud ad Ephesios 4. quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit, conformiter ad id: qui se humiliat, exaltabitur. Denique in hac parva schola non est lectio addiscenda alia, nisi hæc à Magistro proposita: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, in hac schola.*

Si Christum noscis, satis est, si cætera nescis,

Si Christum nescis, nihil est, si cætera noscis.

Humilitas est virtus ita spontaneè depressa, ut sit altior omni fastigio, hæc usque aded est cumulus aliarum, ut quasi non foret ulla vera meritoria virtus, ubi ipsa non comparet in medio reliquarum, de ipsa est verum asserere per excellentiam: *Virtus in medio.* Quidquid humilitas sibi detrahit, id DEUS affluenter refarcit; hæc est minimè sui ostentatrix, sed abditissimo: quærit angulos, in quibus nemini cognita, sed omnibus ignota petit latere, nesciri, & vilipendi.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intrâ

Fortunam debet quisque manere suam.

Qui ab hominibus laudari affectat, indignum se reddit à Domino laudari; perniciosum est utrumque in opere bono, si quis humanam spectet gloriam, & sublimia de se ipso sentiat, hæc una vitiosissima affectio deteriorem fecit Pharisæum publicano. Joannes Baptista in deserto latebat, Joannes Scotus in clauetro se abdebat, quò profundius Baptista se humiliabat, eò excelsius DEUS eundem exaltabat; Joannes Scotus Joannis sui nominis Patroni semper fuit sublecutus vestigia. Luc. 7. de se fatetur Joannes: *non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamentorum ejus.* Aures præbeamus, quid ad hoc propositum S. Marcus innuat, in diebus illis (dum Joannes ex humilitate falsus est, se non esse dignum ad solvenda calceamenta) *in diebus illis venit JESUS à Nazareth Gallilææ, & baptizatus est à Joanne in Jordane.* Ecce in diebus illis, in quibus

Joannes non fidebat manus apponere ad solvendum Salvatoris calceum, manus ejus æstimatæ sunt dignissimæ ad præstandum baptismale Christi balneum. Scotus se omnium submississimum reputans manus suas sæpe sæpius applicavit ad pedes ex itinere adventantium fratrum suorum in balneo abluendos, quæ manus postmodum significatæ sunt tam subtilia scribere, & ex aqua Aganippidum, ex musarum fontana tam excelsa attrahere, ut non amplius communi nomine Joannes, sed solò titulò: *Doctor subtilis*, in toto terrarum orbe per Antonomasiam meritò compellaretur.

Ille ex se nihil, ex proximo suo fecit omnia, honorem semper aliis, sibi omnem dignitatem oblatam repudiare paratus, sincera mente se ipsum minuens, ad ima descendit subfelia. Aliorum laudator, propriæ suæ tenuitatis præco, apud alios honorificè susceptus, apud semetipsum rubore suffusus, laudatus coram se laudantibus stetit quasi læsus, vituperiò affectus acquievit. Vultus, actus, vestitus sibi quasi appropriatam redoluère humilitatem, ab honoribus publicis quæsitus parata promotionum theatra despexit, nihil magis fugiens, quam publicum applausum, timido semper passu ambulabat, & nec tantillum aberrans, quin celsiori, & æquiori censuræ sua facta, & acta, dicta, & scripta debita cum reverentia subjecerit omnia. Erat gemma pretiosa in humili concha, erat sol abditus, & subductus à nubibus, erat humile sacrarium, erat viola in pratis pedibus trita, erat parvum granum sinapis, quod in magnam succrevit arboris altitudinem. Laudo cum Senca:

Laus vera humili sæpe contingit viro.

Humilitas est ipsissima virtus, quæ virtutum Magistra meritò est censenda; quid enim homo de se magnificè deberet superbire, quò vix aliqua creatura est infirmior, nulla ad præcipites quoscunque casus patentior, nulla dejectu facilior. Optimè cognovit Scotus se quò ad corpus suum esse humum mace-

maceratam, quò ad animam, omni errori, & deceptioni creaturam subordinatam. Probus evadit is, qui se probum esse propriò suò judiciò nunquam censuit, ille è cæno imperitiæ pedem extrahit, qui sublimia, & excelsiora non contrahit, & iste solus attrahit punctum honoris, qui desiderat esse minimus, atque ex humilitate velle persistere etiam in minimo puncto. Apud plerosque mortales cupiditas honoris mundani est omnino ineffabilis, vix in scholis cæperunt aliqui *omicron*, & volunt audiri *alpha*, & *omega*; vix didicerunt aliqui in Principiis declinationes de nomine, & jam complementari affectant honoratori nomine; vix perceperunt aliqui constructionem figuratam, & jam anhelant præsentari in quavis dignitatum figura accommodati; vix noverunt aliqui carmen scandere, & jam cæco quodam impulsu præsumunt digniora promotionum culmina quàm immeriti conscendere; vix aliqui parùm olfecerunt Aristotelem, & jam semetipsos vano cum afflatu reverentur tanquam Platonem. Non sic Scotus, qui simul subtilissimus, simul humillimus, & idè exaltatus, quia humiliatus, idè evehctus, quia sibi despectus, idè elevatus, quia prius prostratus. Proposuit sibi frequenter ante mentales oculos suos illum parvulum, quem humani generis Salvator in medium discipulorum produxerat, illos affando: *nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Posuit etiam ante se ipsum Redemptorem, qui cum dives esset, propter nos humilis, & egenus factus est, propter nos opprobrium hominum factus, & abjectio plebis & tanquam in sola humilitate hæreret omnis vis, ait: *discite à me; quia mitis sum, & humilis corde.*

Apud S. Matth. leguntur sequentia: *Cæpit JESUS ad turbas dicere de Joanne.* Mirà hæc locutio! incipere dicere, & dixisse distincta sunt à tempore præsentis, & præteriti, aliàs Christus Dominus turbis, aut suis discipulis semper in per-

fecto dixit, dixit; turbis parabolam: *Simile est regnum caelorum grano sinapis.* Matth. 13. *en Dixit, non cepit dicere. Iterum dixit per similitudinem; cum turba conveniret.* Luc. 8. *ecce dixit, non cepit dicere. Denuo dixit turbis Judaeorum, ego vado, & quæretis me.* Joan. 8. *viden: dixit, præterea: dixit JESUS discipulis suis, hoc est præceptum meum.* Joan. 15. *dixit JESUS turbis; si quis venit ad me, & non odit Patrem suum.* Joan. 15. *dixit JESUS discipulis suis, cum audieritis prælia, & seditiones.* Luc. 21. *semper legitur: Dixit, dixit, dixit; locutus autem ad turbas de Joanne, non dixit, sed cepit dicere, hoc est, incepit dicere de sua humilitate, & non voluit finire; tanta namque erat Baptistæ humilitas, ut de ea quis potuerit exordiri, sed non tam facile dictis terminare. Joannes Joanni similis, de Joanne Dunfio humili, & ejus humilitate incepti aliquid dicere, sed nequeo dicta claudere, non surrexit inter natos Mulierum major Joanne Baptista, vix surrexit minor inter natos Minoritarum Joanne Scotista, uterque erat humillimus, uterque humi limus.*

<i>Parvule siste,</i>	<i>Cordis amorem,</i>
<i>Es probus iste,</i>	<i>Laudis honorem.</i>
<i>Quid major exstas,</i>	<i>Lege probatus,</i>
<i>Maximè prostas.</i>	<i>Semper amatus.</i>
<i>Doct̃or haberis,</i>	<i>Sidera cernis,</i>
<i>Schema mereris,</i>	<i>Altaque spernis.</i>

CAPUT OCTAVUM

De obedientia Scoti.

Perire se crederet Scotus, si virtutem obedientiæ non desperiret; obedientia est manu ductrix ad sapientiam. *svadet S. Bernardus: Si vis esse sapiens, esto obediens; Scotus sponsus, obedientia amasia, proles scientia, fuit ille verus Religiosus; quia superioribus in omnibus obsequiosus. Religiosus est ferrum, quod debet malleo obedientiæ contundi,*

di, est aurum, quod necesse habet per ignem probari, est equus, quem oportet frænâ constringere, est ager, qui debet aratrô scindi, est limus in manu figuli; priusquam per figulum ex massa limosa formetur vas in honorem, opus est, ut limus aut pedibus conculcetur, aut manibus comprimatur, aut quocunque instrumentô conquassetur. Pariformi methodo insistendo Religiosi per obedientiam sùsque, déque conculcari debent. Religiosus tandem est globus in manu sui superioris ad omnem partem volubilis, si-ve sursum, si-ve deorsum, si-ve dextrorsum, si-ve sinistorsum. Per hujusmodi calami delineamenta tanquam in speculo repræsentatum Scotum totius mundi conspectui ad vivum exhibeo; vixit sub malleo obedientiæ, & hinc artefactum admiratu dignum, fuit aurum per ignem obedientiæ summo cum valore approbatum, fuit limus non in vas contumeliæ, sed vas honoris mirificè transmūtatus, fuit ager, qui excultus fructum tulit centuplum, fuit globus in manu sui superioris usque Coloniam (de hoc plura recensentur infra) Parisiis lutetiorum volubilis, bene Plautus:

Impera, quod vis, nec deero in mora.

Cordi suo profundè infixâ semper secum ruminabat hæc sui Redemptoris verba: quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Christi vestigia, quantum erat in suo conatu cum adminiculo divinæ gratiæ indefessè fuit secutus, attentè observans verba S. Lucæ cap. 2. erat subditus illis. Cùm praxi obedientiæ difficilis visa fuerit hominibus libertatem suam tenerrimè amantibus: idèd opus fuit exemplo hominis-Dei, ut ea facilior redderetur. Ab anno duodecimo usque ad trigessimum nihil aliud nobis constat, quàm erat subditus, erat subditus Mariæ, subditus Josepho, subditus æterno Patri, cum ipso etiam semper Scotus subditus, & obediens usque ad mortem.

Specimen religiosæ obedientiæ dedit Scotus heroicum tempore illo, quò Parisiis extra monasterium, & urbem cum suis dilectis discipulis auræ recentioris capiendi gratiâ spatia- batur. In hac recreationis occasione comparuit fortuitò nun- tius Scoto literas obedientiales extradendo, vinculo obedi- tiæ ligatus ex his apertè intellexit se Parisiis ex familia collo- catum, & noviter Coloniam Agripinam se collocandum fore. Ecce sacræ virtuti obedientiæ adamussim obtemperando mo- re Apostolico relictis omnibus secutus est mandatum sui supe- rioris, promptò, ac expeditò animò amplius non domum rever- sus, omnia in sua angustissima cellula scripta deferens, nulli valedicens, imò civitatem Parisiensem amplissimam, Universi- tatem celeberrimam, cænobium florentissimum, Patronos, amicos, Fratres, discipulos, sua confecta opera tanquam e- ruditos ingenii sui partus, & cathedram docendi publicam deserendo: Quis ista singula tali resolutò animo derelinquet, nisi verus obediens, nisi perfectus Religiosus, nisi ad omnem nutum obsecundans Scotus? Ideo bonus, quia ad obediend- um promus. Hesiodus:

Bonus est ille, qui rectè dicenti paret.

Magna sanè perfectio est virtus obedientiæ; quid namque il- la est aliud; quàm ditissimum Religiosorum patrimonium, po- tissimum Religionis augmentum, præcipuum religiosæ vitæ ornamentum, omnium votorum maximum, iter ad astra tu- tissimum, scutum contra dæmones fortissimum, securum vir- tutis fundamentum, pietatis initium, prædestinationis in- ducium, & ineffabile salutis æternæ instrumentum. Opti- mum assertum: *Obedientia melior, quàm victima*; super hæc verba sanctus audiatur Gregorius: Obedientia idcirco victi- mis præponitur; quia per victimas tantùm animalium caro, per obedientiam autem caput humanum proprium non co- actè sicut apud animal, sed libere obtruncatur. Vivus Reli- giosus est vivus Martyr, sancti Martyres ob constantem or- tho-

thodoxæ fidei contestationem aut erant obtruncati in manibus, aut abbreviati in pedibus, aut lanceati per viscera, aut excoriati in pelle, aut dissecti per membra, aut incinerati per ignem, aut objugulati per funem, aut lacerati per belluas, aut suspensi in cruce, aut minuti capite, quæ capitis diminutio obrigit in puncto, in istu oculi, in momento. Scotus quamdiu vivens, tam diu capite plexus, tamen caput gestaverit proprium, non tamen propriæ voluntati appropriatum, caput habuit physicè vivum, spiritualiter mortuum; caput portavit sapientiâ plenum, coram superiore vacuum. Ille designavit nihil in homine religioso esse adeò perniciosum, virtutibus adeò inimicum, & profectui spirituali adeò infensum, quàm caput proprium; quare sensibus suis denegavit facultatem se in aliqua re delectandi, iudicio proprio abripuit potestatem judicandi, voluntati propriæ interdixit licentiam appetendi, totus desit esse suus, & incepit esse alterius, scilicet sui superioris.

Alterius præcepta sequi fuit ille paratus.

Obedientia apud eum terminis non arctabatur, determinatam legem nescivit, constringebatur angustiis, & etiam, pro ut opportunitas se obtulit, ferebatur in longitudinem mandantis. Ad omne, quod injungebatur, spontaneo vigore paratus, & unicè contentus cum sui Præpositi voluntate, menti suæ illud acclavatum sentiens: obediendo transeundum est per ignem, & aquam, antequàm perveniamus in refrigeriû, obediendo sufferendum est pondus, & æstus diei, antequam obtineamus denarium, obediendo manus adhibendæ sunt, antequam decerpamus palmam victoriæ, obediendo torcular premendum est, antequam intromittamur in Cellam Vinariâ, obediendo omnia mala pergustanda sunt, antequam experiamur, quàm suavis sit Dominus; sit aliis libertas aurea, Scoto fuit aurò pretiosior obedientia.

Obedentiâ ductus supremo Numini semper debitam exhibuit adorationem, submissionem tanquam supremo Domino,

no, obedientiam tanquam universali legislatori, oblationem tanquam omnium rerum Authori, amorem tanquam optimo benefactori, timorem tanquam iustissimo Judici, reverentiam tanquam superiori, honorem tanquam supereminenti potestati, admirationem tanquam omnium admirabilium comprehensori, dilectionem tanquam amantissimo Patri, gratitudinem tanquam remuneratori, resignationem tanquam sapientissimo gubernatori, servitutem tanquam omnium Dominorum fonti, & demum semetipsum tanquam Redemptori. Præterea DEO dedit custodiam legis, impletionem divinæ voluntatis, munditiam cordis, morum disciplinam, zelum sanctum, firmitatem in credendo, constantiam in sperando, fortitudinem in adversis, amorem continuum, promptitudinem in sua vocatione, DEO etiam reddidit vota religiosa, quæ vovit, quæ etiam in baptismo spondit, quæ in confessione promisit, quæ in meditationibus itatuit. Proximum adamavit sicut semetipsum, omnibus exhibuit fidelitatem, omnibus dilectionem, omnibus ædificationem, omnibus utilitatem, superioribus observantiam, egenis misericordiam, afflictis consolationem, inimicis veniam, hospitibus honorem, senioribus reverentiam, junioribus exemplum, subditis disciplinam, errantibus fraternam correctionem, ignorantibus instructionem, peregrinis hospitium, famelicis alimentum cum Superiorum permisso, ex obedientia tandem tam vivis, quàm defunctis orationis suffragium.

*Charum relinquit sponte patrium solum,
 Ignotus orbi commodum petit polum.
 Ne capite proprio protinus fieret malus,
 Lubens obedit, ut veniat ipsi salus,
 Scis, quid voluntas propria plurimum nocet,
 Exempla perhibet, per ea nos omnes docet.
 Tacens ad astra monstrat obviam viam,
 Docetque vitam taliter gerere piam.*

*Suum paratus dum sibi iudicium rapit ,
Statim beantis gratiam DEI capit.
Nocet voluntas propria , plurimos ferit ,
Hanc qui resignat , iustus , innocens erit.*

CAPUT NONUM De Castitate Scoti.

IN aliqua sacra Religione vivere non est simpliciter laudabile, sed in Religione virtuosè vivere, & Angelicam ducere vitam, ipsissimum est laudabile; castè vivere, est Angelicè vivere. Illæ personæ, quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli DEI in Cœlo: nemo ergo miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. Scotus in sua religiosa professione exitit Christi sponsa æterno piarum animarum sponso copulata; suo cœlesti sponso perpetuam ità inviolabiliter servavit fidem, quòd in omni occasione averterit oculos suos ab omni illo objecto, quod puritatem potuisset lædere religiosam. Testatur antiquus de ipso versus:

*Huic humili, casto, Francisci chordula renes
Strinxit.*

Altæ memoriæ hoc habuit recommendatum, quòd votum castitatis sit benedictum vinculum religiosorum, ornamentum virtuosorum, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, augmentum pulchritudinis, & decus religionis. Cinctus ille fuit in suo casto corpore zonâ aureâ, sicut præcincti erant illi septem Angeli, de quibus Apoc. 15. subiequens fit mentio: *Exierunt septem Angeli habentes septem plagas, vestiti lineis, lapide mundo, & candido, præcincti circa pectora zonis aureis.* Per zonas hæc deauratas intellige continentiam carnis, & tunc Scotus septem plagas in terram sparsit virtutibus fructiferam, dum austerimis septem mortificationibus carnis coercuit lasciviam, scilicet: sensuum externorum refrænatio-

ne, impurarum cogitationum repressione, assidua laborum occupatione, indefessa vigiliarum observatione, perseverante orationis continuatione, malarum occasionum evitatione, & foeminei sexûs aversione. Tibullus:

Est crudele genus, nec dignum foemina nomen.

Præter declinationem musæ, super quam declinatur foemina, novam observavit declinationem Scotus; declinavit nominativum, quia nec hoc nomen cum citato Tibullo audire voluit: declinavit genitivum, quia hæc generatio est prava, & perversa; declinavit dativum, foemina dari amat, non dare; declinavit accusativum, conversatio cum foemina conscientiam accusat; declinavit vocativum, vocatorias syrenum cantilenas audire recusavit; declinavit ablativum, consortium cum foemina aufert hominis famam, ut aliquis bene dixit, qui dixit: quid prodest mulierum diligere formam, & per hoc amittere famam,

O quantum malum mulier! per mulierem Adam in Paraiso cecidit, per mulierem mundissimus David adulterii inquinamentò se sordidavit; per mulierem sapientissimus Salomon in prævaricationis sacrilegium se præcipitavit; per mulierem fortissimus Samson rasis, rasisque criminibus miserabiliter occubuit; per mulierem castissimus Joseph vinculis ligatus ad carceris squalores detrusus fuit; per mulierem Joannes Baptista decollatus interiit.

Adam, Samsonem, Davidem, Lotb, Salomonem,

Foemina decepit, quis modò tutus erit?

Mulier ad bona danda consilia est pauperrima, malorum autem omnium artifex ingeniosissima, aut amat, aut odit mulier, nihil refert tertium. Lachryma foeminae est condimentum suæ malitiæ, nihil citius, quam illius lachryma arefcit, & occultas struit infidias, dum foemina plorat. In oculis est Basiliscus, in attactu lethalis viscus, hinc fit diabolus per foeminam plurimorum hominum fiscus. Quàm periculosum sit conversari cum muliebri sexu, testis erat S. Petrus Apostolus: peccati

cati favilla ibi concipitur faciliùs, ubi mulier peccati est fomes; frigebat ad candentis foci prunas Petrus, qui inter pelagi procellas ardebat accensus igne amoris erga Christum, dum superfluctus maris ambulans ejusdem opem imploravit: *Salva nos.* Facile tranatur æquor, ubi amor architalassi fungitur munere, naufragatur etiam Ulissis Liburnica, dum Syren dolosa aures tenet captivas. Inter labiles fluentis pelagi aquas Petrus ut Petra induruit, ad focum fœminæ dissiliit; charitatem, quam aquæ multæ extinguere non poterant, mulier ad ignem levi difflavit loquelâ; Cœli ostiarius pro hîc & nunc non modò cœlis exulat ob peccatum perfidiæ, sed à Christo quoque sejungitur, qui ostium est, & janua cœli.

Grandem Petri lapsum levis causavit ancilla, quid venustiores fœminæ non facient, quid facient dominæ, possunt si talia servæ? si tantum militia esset vita hominis super terram, & non malitia fœminarum, citius speraretur victoria. Cum eo hoste nobis congregiendum est, qui decepit Protoparentem; ligavit Samsones, prostravit Davides, dementavit Salomones; cum eo hoste, qui tot infelices cupidinis victimas immolavit Pyramos, tot amandi artifices merisit Leandros, tot deflevit Adonides, tot destruxit Parides, cum eo, inquam, hoste, qui est generis fœminini, & incedit annis aliqua v. g. tenera, culta in corpore, turpis in animo, vultu formosa, malitiâ gravis, crista gloriatur plumatili, calami-stratam cæsariem ludibundis Zephyris in jocos indulget; in ejus fronte festivè colludunt, & per genarum campos renitent charitum agmina; oculos jactat gemmis flammantibus pyropis æmulos; in labia rosarum purpuram, in collum lygustrorum nives distribuit; cervici defluum per humeros ad terram u que purpureum aurò, gemmisque radiatum laici-viæ suspendet Syrma, candidissimum utriusque manûs in carne ebur præmonstrat, copiosam panchæi thuris diffundit fragrantiam; amphionio cymbalorum tinnitu suaviculatur, can-

tat impudica Syren, ut perimat; munera offert, quæ sunt animarum funera, addit blandimenta, quæ sunt tormenta. Edic Scotus, quid ageres in hoc conflictu? Respondentem audiamus: hæc sunt foeminea retia, muliebria tentamina à me in omni occasione maturè evitata, qui nullius foeminæ faciem folitus sum curioso quodam intuitu nec per momentum temporis conspiciere, custos conservandæ puritatis apud me est oculorum modestia; siquidem amor la civus ex aspectu nascitur juxta illud Ovidianum: Oculi sunt in amore duces.

O! Oculi, Scopuli titulo meliore vocandi,

In vos allisæ quot periêre rates?

Venenosa herba est mulier, quam Scotus cavit semper, infecta ab arbore scientiæ boni, & mali, infecta ab esu pomi vitæ, infecta à fomite concupiscentiæ, est infecta in ore, infecta in more, infecta in dictis, infecta in fictis.

Diligebat Joannem JESUS, quia virgo electus ab ipso, Virgo in ævum permansit. Virginitatis amator singularis est Dominus, specialiter diligit castos, qui nascitur inter lilia; hanc ob causam non voluit nisi à virgine nasci, non affectavit nisi à virgine nasci, non postulavit nisi à virgine alimentari, non anhelavit nisi à virgine in ægyptum deportari, non poposcit nisi à virgine Joanne Baptista in Jordane baptisari, non petiit nisi Joannem virginem Matri suæ virgini sub cruce commendare. Virginitas nubes, aëra, & Angelos transgreditur, Virgines, & homines casti Agno cœlesti amabile decantant Epitaphium; Patrona, Mater, & Regina Virginum est Maria Virgo beatissima: coram hac Virgine Virgo Joannes saltavit in utero Elisabeth, Virgo Joannes Virgini Mariæ adoptatur in filium, Virgo Joannes Scotus à Virgine Deipara suscipitur in filium, qui Mariam ab originali nævo intaminatam inter primos proposuit, asseruit, propugnavit, & feliciter evicit, ita, ut in suam sententiam prius Lutetiam Parisiorum, desuper orbem Catholicum propè omnem pertiaxerit.

*Colluvies certa , Mulier , est flamma reperta ,
 Illam quisquis adit , per mala mille cadit .
 Fœx ex natura , maribus contagio pura ,
 Hæc Venerem ditat , non nisi prava citat .
 Felle caret rare , quidquid blanditur amare ,
 Felle malum finit , quod caro melle linit .
 Noxius hic panis , quid quæris gaudia vanis ?
 Gaudia non stabunt , sed mera damna dabunt .
 Ut castus murus , Scotus sic corpore purus .
 Nos sua casta docent , lubrica quando nocent .*

CAPUT DECIMUM

De Paupertate Scoti.

Genuinus virtutis partus dignoscitur in paupertate Religiosa , & melius agnoscitur , quàm agnosci solet per fagittas Apollo , per clavam Hercules , per fulmen Jupiter , per gladium Mavors , per thyrsum Bacchus , per Caduceum Mercurius , per tridentem Neptunus , per falcem Saturnus , & per Malleum Vulcanus . Arboribus , quæ dicuntur Salices , hoc proprium est , quò plus ipsis in ramis demitur , eò altiùs crescendo exsurgunt ; quò plus Scoto auferebatur de proprio , eò majores , & firmiores egit radices paupertatis , à primo sacræ professionis momento renuntiavit omnibus , exivit cum Patriarcha Abrahamo de terra sua , de cognatione sua non tantùm corpore , sed & animo . Corpus suum , & animam suam libens lubens tradidit creativæ omnipotentivæ divinæ , jus defendendi vitam suam resignavit Providentiæ divinæ , mortalitatem corporis sui deposuit immortalitati divinæ , libertatem contulit voluntati divinæ , bonam famam suam cessit dignitati divinæ , intellectum dedit intellectui divino , scientiam suam tribuit Sapientiæ divinæ , omnia corporis membra substituit Majestati divinæ . Præterea oculos sacrificavit DEO , & virtuti modestiæ , linguam DEO , & virtuti silentii ,

tii, aures DEO, & virtuti castimoniam, os DEO, & virtuti abstinentiam, manus DEO, & virtuti sedulitatis, pedes DEO, & virtuti obedientiam, totum corpus DEO, & virtuti vigilantiam: sic spiritualiter denudatus, egenus, & omnibus libere spoliatus vixit Scotus in mero suo nihilo Religio us depauperatus.

Pauperiem, & duros potuit perferre labores.

Permansit in sua voluntaria egestate ideo dives, quia rebus fictilibus sic utebatur, quasi uteretur auro, & argento: si etiam argentum, & aurum possedisse fas fuisset, sic utroque hoc dono pariter usus fuisset, quasi materia fictili terrena omnia vilipendendo. Hæc sua paupertas fuit modicis potens, minimis locupletata, fuit etiam nihilo ditissima. Cultu simplex, nudus capite, lacero, & atrito habitu vestitus, habuit Scotus, quantum voluit, quia nihil appetit, dempta pauperie, quam summo fuit persecutus amore, non addidit abundare, sed penuriam pati, si aliàs pauper ubique jacet, ille ut pauperissimus ubique bene stetit, & apud Græcos si paupertas bene stetit in Aristide justa, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens, in Homero utilis, revera in Scoto omnibus omnia facta; pauper in mundo, pauper in Monasterio, pauper in Ecclesia, pauper in schola, pauper in platea, pauper in publico, pauper in privato, quasi omnia habens, & nihil possidens, semper contentus, apud Juvenalem cum paucis:

In quantum sitis, atque fames, & frigora poscunt.

More mendici ad stipem hilari animo, sepositoque omni promotionis gradu contentus accedere, quod in hoc homine Major in 4. distin. 38. quæst. 11. his verbis commendat: constat, quod in itinere, ubi non invenit cænohia, victum DEI amore, hospitium, & transitum per Oceanum è Britannia in Gallias petebat in suum meritum, & aliorum ædificationem, testatur etiam Vorinlongus in imo dist. 38. Scotum per Angliam iter agentem occurrisse cuidam agricolæ hordeum seminanti, & super sterilitatem terræ in DEUM blasphemanti,

ti, verbis suaviter monitoriis, ut ab his disteriis desisteret, exhortantem; Æthiopem lavit, & furdo quasi præcantavit fabulam. Rusticus rabie, & furore motus in hæc prorupit dictamina: dic mihi, quare non impatiens fierem? in mea seminatione frustra DEI auxilium imploro, sive blasphemem, sive non blasphemem; vel enim præscientiâ suâ divinâ me DEUS prænovit salvandum, vel reprobandum? nihil interest de prolata blasphemia; si prædestinare, vel condemnare me statuit, frustranea, & aërem verberantia sunt mea opera, seu hæc sint bona, seu mala, nec priora me salvabunt, nec posteriora me condemnabunt. Fatale, & perniciosum hoc effatum ille modestissima retorfit illatione: si divina præscientia, ut arbitraris, hanc imponit rebus necessitudinem, cur hunc seminandi grana hordei laborem assumis? etenim si DEUS prævidit nasciturum hordeum, aut femines, aut non femines, aut terram collas, aut incultam negligas, hordeum juxta tua dicta debet excrefcere, gratis itaque feminas, frustra aras, incassum occas, imò quasi arenæ, & saxis semina ingeris, & labor tuus nunquam erit necessarius. Ad hæc colonus rubore suffusus vehementer obstupuit, & suum reatum agnoscens, inquit: ô probe Pater, fateor me graviter errâsse, moderata admonitione tua animam meam lucratus es. Videamus nunc, quàm præclarus sit Scotus mendicus, qui penes panem quotidianum etiam hominis aliàs perditam animâ collegit. Menander:

Animam cures, in quantum potes.

Paupertas ipsum divitem reddidit; quia paupertas est thesaurus Evangelicus absconditus, cujus pretium homines non cognoscunt; necessarium proinde fuit, ut DEUS in terram paupertatem persuasurus descenderet. DEUS, loquitur S. Bernardus, *Omnia bona gloria in calo possidebat, sed thesaurus paupertatis ibi non inveniebatur; venit itaque in terram eundem quæsiturus, & propter hunc è coelo se demisit ille, qui infinitis gaudet divitiis, egenus factus est, ut illius inopiâ nos*

divites essemus. 2. Cor. cap. 8. Paupertas est illa gemma pretiosa Evangelii, quam obtinere non possumus, nisi omnium bonorum dispendiô; Servator noster omnibus suis bonis ad eam lucrandam se spoliavit: siquidem tam pauper natus est, tam pauper vixit, tam pauper mortuus est, ut omnium bonorum locô non nisi nudus sit crûci affixus. Vestem habuit, sed milites super vestimenta sua miserunt sortem, Matrem habuit, sed hanc legavit Joanni, sanguinem habuit, sed hunc profudit in atrio Pilati, corpus habuit, sed hoc immolavit pro genere humano, animam habuit, sed hanc commendavit in manus sui Patris, nihil superfuit; nisi crux, clavi, & corona spinea, suum nihil erat horum, sed Judæorum. *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum,* credit hoc firmissimè Scotus, qui paupertate summa ditissimus factus est, in morte pauper, nudus egreditur, cœlum dives ingreditur.

Paupertas humilis summo conjuncta Tonanti.

In vita sua Scotus semper fuit memor hujus versiculi: edent pauperes, & saturabuntur. Quid innotat hoc? edent pauperes: ergo divites non edunt? ità sanè juxta illud: Divites eguerunt, & esurierunt. Incidens hoc dubium luculentius sacra demonstrat pagina: Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ, & byssô, epulabatur quotidie splendidè, & erat quidam mendicus, nomine Lazarus, cupiens satiari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, nemo illi dabat, sed & canes veniebant, & lingeabant ulcera ejus; factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ; mortuus est & dives, & sepultus in inferno, in quo cum damnatis famem patietur ut canis. Ecce divites eguerunt, & esurierunt; cum Scoto autem edent pauperes, & saturabuntur. Sole clariùs videbatur Scoto, quòd si quis cupiat aliquando dives fieri in Christo, debeat modò studere pauper esse cum illo, tantò ille cum Christo modò est consolatus uberiùs, quantò per extremam suam paupertatem in
hac

hac lachrymarum valle vixit desolatus acerbiùs. Felix, qui se ipsum voluntariè conatus est depauperare, ut tam sublimem expropriationis gradum hìc conscendere temporaliter promeruerit. Tantò quippe à DEO excellentiùs donum dignè recepit, quantò magis suam propriam voluntatem in terris spontaneè dereliquit; tantò fortiùs anima ejusdem deserto adhæret DEO, utpote actui puro, quantò puriùs in hoc sæculo recesserat ab omni actu proprio; tantò exstat supremo Numini conjunctior, quantò fuerat ab omni re, & spe temporanea remotior; quia citiùs non intratur in thesauros divinæ bonitatis, quàm per perfectam voluntariam abdicationem totius proprietatis, ideo, quia Scotus omnia deseruit, omnia centuplò accepit.

*Sprevit Scotus opes, pauper, beatus,
 Simplex irus erat, paucis cibatus.
 Panem quarit inops, Doctor creatus,
 Ipsum non puduit, meritò probatus.
 Omne tulit punctum, laudibus amenum,
 Vitâ, morte probum, salute plenum.
 Noctè, dièque cibus se vix alebat,
 Qui jejunus erat, semper studebat.
 Hoc solamen erat, sic abstinere,
 Votum tale fuit, se non replere.
 Jam super astra sedet nectare repletus,
 Ambrosiosque cibos edendo letus.*

LIBER TERTIUS

De autumnno, seu Virili ætate Joannis Duns-
Scoti.



AD Scoticæ effigiei lineamenta ducenda me accingo, aliud lineamentum in suo capite erit Magistrale biretum, aliud lineamentum in suis humeris doctorale pallium, aliud lineamentum in suis manibus liber, & calamus, aliud delineamentum in situ sui corporis Cathedra Magistralis, aliud lineamentum in suo ore flumen eloquentiæ.

CAPUT PRIMUM

De adepta laurea Doctorali Scoti.

Quemadmodum hominum vultus magna dissimilitudine constant, ita animorum humanorum maximæ sunt varietates, ut nec semper eadem quemvis delectent, nec quæ uni arrident, placeant alteri. Procul absit Licinius asserens: *Virus esse reipublicæ scire litteras*; adhæret illi Cornelius Agrippa, qui omnem cum artibus abominatur scientiam, & audet sine erubescencia dicere: *Theologum esse Hereticum, Logicum Chymericum, Physicum somniosorem, Metaphysicum portentosum, Ethicum morosum, Grammaticum perversum, Poëtam vaniloquum, Rhetorem superbum, musicum impudicum, Arithmeticum sortilegum, & sic de cæteris*. Ego hæc asserta venenosa esse retorqueo; quandoquidem scientia est, fuit, & semper erit virtus; incitia verò virus. Adsit Rex Neapolitanus Robertus inquires: *Sapientiæ Laurum præpono scepro, & malo caput meum esse laureatum, quàm sine doctrina coronatum*. Adsit Alphonfus Rex Aragoniæ ita sen-

sentiens: *malo omnium regnorum jacturam sufferre, quàm minimam doctrinæ.* Adsit Scotus studiorum amator, & promotor insignissimus, ex quo scientia fecit nobilissimum. Jam jam post labores ad honores, sicut sol orbis lumen post finitum diei cursum ante imminentem noctem purpuram in colore induit, ita post exantlatos studiorum labores purpurâ Scotus investitur: talem eum vidit Parisiensis Musa, quando purpureâ velatus veste sedebat in folio academico. Egredimini, & vos sacratoris Palladis genuini Filii, & videte solem vestrum Scotisticum in diademate, quo coronavit illum mater Sapientia in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. Urgente Reverendissimi Patris Generalis Gondelvi autoritate, & frustra reluctante humilitate Scotica summo omnium cum applausu primùm insignitur caractere Baccalaureatûs, mox SS. Theologiæ laureâ condecoratur, applausit universus Senatus, populûsque Academicus, & civitas Parisiensis integra.

*Absque labore nihil dignum reperitur honore,
Laudis cuiusvis est labor ipse pater.*

Peraçto hoc famosæ promotionis actu à sacra Religione in comitiis Tholosanis creatur studiorum Regens, paulò post juxta Possevinum primarium in schola Parisiensi est affectus locum, ubi maximè contra vitia solebat ardentè debaccari, quod ex ejus doctrina ibidem tradita fideliter adducunt, eum magnâ curâ peccata profligâsse, & excitato DEI amore bellum continuum indixisse vitiis; inde scimus, quòd ipsemet in 4. dist. 50. quæst. 1. scripserit: non id curandum, quòd à peccatore creatura, sed quòd ipsissimus infinitè bonus offendatur Creator, & nè hoc comittatur, eligendum potius in nihilum reduci, idq; unicè propter DEI amorem, & minimè propter pœnas gehennæ fugiendas. Præclarissima profectò hæc doctrina, & excellentissimum erga DEUM sumum, maximum amoris argumentû; malle videlicet non esse, quàm DEO offensô

in vivis superesse. Itaque qui tantò studiò, & conatu peccata vitavit, delicta cavenda pervasit, DEUM integerrimè amare docuit, quanto impulsu putes virtutibus acquirendis eum incubuisse? Seneca:

*Doctrina mores esse non sinit feros,
Sacras suas ubique circumfert opes.*

Homines sapientes, qui naturæ arcana scrutantur de vitæ diuturnitate, & ejusdem signis in tot, tàmque diversas abeunt sententias, ut cui adstipuler, dubius omnino hæream. Diu vivere censentur illi juxta aliquos, quorum cunæ circa solis ortum cæperunt, & sub aurora in hunc mundum nati sunt; diu vivere illi, qui circa vernale æquinoctium fuerunt geniti; diu vivere illi, quibus color in vultu roseus, clarus, & plena facies; diu vivere illi, qui dentium multitudine, & firma compage videntur præditi; diu vivere illi, qui lineas in manu oblongas, firmas circumportant & æquales; diu vivere illi, qui dormiunt somnum profundum, ac continuum. His aliisque similibus opinionibus transmissis diu vivere censentur illi; imò longævi, & planè sempiterni existimantur illi, qui doctrinarum suarum specimina in suis libris, & operibus immortalibus posteritati gloriosè transcripserunt.

Vivit post funera virtus.

Scotus mortuus etiamnum vivit, qui vixit nulli hominum virtute secundus, sola virtus est expers sepulchri, potest de illo afferi: fui mortuus, & ecce sum vivens. Vivit apud Antonium Andream suum fidelem discipulum, qui in fine suæ Metaphysices scribit ejus famam, & memoriam in benedictione esse. Vivit apud Bartholomæum Pisanum, qui in suis conformitatibus illum probè educatum fuisse, divino cultu præditum, & in omni scibili versatum. Vivit apud Abbatem Trithemium, qui de scriptoribus eruditis mentionem faciens Scoti scripta nuncupat studiosam cælestium rerum

rum eruditionem. Vivit apud Antonium Possevinum, qui in suo apparatu testatur, modestâ, animô tranquillô, & charitate fuisse exornatum, hæsse Christiano ejus pectori inditam à Domino Sapientiam, & mentem integrâ. Vivit apud Guilielmum Vorilongum, qui in imo dist. 38. ipsum compellat vivum Doctorem justitiæ, claustrî lucem, & cleri Ducem. Vivit ergo Scotus, & omni tempore vivet sapiens creatus Doctor; quia sapiens dominabitur astris, & docti fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates, accinit Buchlerus:

*Vivat, quem musæ potârunt nectare dulci,
Claros inter habens nomina clara viros.*

Quid dico? non duntaxat astrum, plus ultra, plus cogor de Scoto dicere, Sol, & Sal est Scotus; Sol est, quia Doctor *lux mundi est*; Sal est, quia Doctor Sal terræ est, jam militat quæstio: quod in mundo ex omnibus naturalibus bonis judicetur utilissimum? antequam huic interrogato cum debita responsione occurram, imaginanti mihi ingentem rerum bonarum numerum denuo dubiosus hæsit animus, num mentis oculô sollicitè perlustrando omnia, eaque inter se aut separando, aut comparando aliquod ens adinventiri possit, quod commodô, pretiô, & utilitate cætera omnia transcenderet? nunquid illud cibus, & potus est? nam his destituti enecamur fame, aut siti, vel fortè occurret? aër sine quo nec spirare quidem conceditur. Incidet forsan ignis, & aqua? cum uno in frigore calefimus, cum altero in æstu intenso frigefimus. Fortassis pingues rerum possessiones, fortunatas, divitias mihi offeret alius? quæ verè utilia esse comprobantur, & iisdem bona secundum placitum parantur omnia. Alter bona corporis adducet ad medium, valetudinem, ætatem floridam, formam corporis, vires, sensus integros. Alius vitæ partem optimam, id est Parentes, amicos, propinquos, proles, hæredes, & hujusmodi. En isti omnes

omnes ad veritatis fundum mecum nequaquam descenderunt; verum nè legentem suspendam diutius, duo sunt, quibus in rerum natura nihil hominibus proficuum est magis, quàm sol, & sal, testor ad hoc meum propositum peritissimum, & æquissimum naturæ Judicem Plinium, sol, & sal; inquit, lib. 31. cap. 9. nihil est corporibus utiliùs, sol suo lumine cuncta illustrat, suo calore fovet, suâ influentiâ vegetat, & sua virtute vivificat. Sal balsamum est naturæ, & mixtis omnibus immixtum, sinè sale putrescerent omnia, corrumperentur omnia.

Mundi sol oculus, fulgor splendentis Olympi,

Dos, & thesaurus sal pretiosus humi.

Doctores in Ecclesia nostra Orthodoxa instar solis tenebras errorum propellunt, aberrantes ad viam veritatis per illuminationes deducunt, fidelium animos, & animas indefessè illuminant. Doctores ad instar salis etiam Catholica dogmata reddunt sapida, ad instar salis verbis interpretativis sacræ Scripturæ conferunt condimentum præstantissimum, & clariorem præbent intelligentiam, ad instar salis sanctam Romanam Ecclesiam à putredine hæresum mirificè præservant. Si itaque hoc jure merito sustinendum est de omnibus famosis Doctores, id ipsum de subtili doctrina Scoti ubique gentium prudenter sentiendum erit; consequenter Doctor subtilis exstitit Ecclesiæ proficuus, & tam solis, quàm salis instar scriptor valde utilis. In adepta doctoratûs laureola, & in communi tripudiantis Galliæ festo, vicio sibi duceret Apollo; si cum Noveno Musarum choro poëticum Scoto subsequenter non faceret applausum:

Quæ Pallas pandit, Doctorum pegmata scandit,

Cum plausu Scotus fit cunctis illico notus.

Nomen Doctoris, nomen portabit honoris.

Promotus lætum gestans in fronte biretum.

*Jam libros certos, scribit, legit, aptat, apertos,
 Vitam transibit, sed nunquam fama peribit.
 Ut sol splendores mittet sic ille nitores,
 Hos tribuit numen, queat ut diffundere lumen.
 Dicere si malis, Scotus quasi formula salis,
 Qui nihil abscondit, sicut sal dogmata condit,
 Rector defendit, gratis quoque scibile vendit,
 Pro doctis orat, Gymnasia quæque decorat.*

CAPUT SECUNDUM.

De æstimatione Scriptorum Scoti.

AD doctrinam suam ex monte Parnassi descendo, summè proficuum DEI Ecclesiæ, ejusque Fidelibus illam esse ostendo. Scotus præ cæteris pluribus Doctoribus altius, & profundius genuinam rerum indagandi veritatem commodissimam præbuit occasionem, ne cæco quopiam gressu, & inconsiderato ductu omnes in unam, & eandem abirent docendi semitam, aut in unius solummodo Doctoris jurarent sententiam. Peculiares habet Professores, & Sectatores in suis scholis Doctor Angelicus, suos & speciales numerat Auditores Doctor subtilis; si utriusque doctrina ponatur ad stateram, uterque inventus erit scire habens. Tres nobilissimas in Regno Hispaniæ aperio Universitates, Connimbricensem, Salmanticensem, Complutensem, in unaquaque harum ordinata conspiciuntur subsellia, in quibus destinati pro Scoti disciplina numerantur Professores Scotistæ acutissimi. In Universitate Parisiensi, Patavina, Ticinensi, imò & in ipsa urbe Romana totius orbis capite singulares defacto Scotus obtinet docendi cathedras. In tantum etiam schola Scotica in prænominatis locis est appetiata, quod honorificum pretium institutis Professoribus pro exantlatis suis laboribus annuatim sit moris

exsolvere. Doctrina Scotica habetur etiam in æstimatione, ut dignitate, & stipendio, & assignatæ horæ in scholis tradendæ commoditate multis in locis non cedat cathedræ illi, quæ sancti Thomæ retinet nomen. Thomistæ, & Scotistæ Coëmbricæ æqualis sunt stipendii, & authoritatis; Salmanticæ haud minoris considerationis, & emolumenti; Compluti omnium primarium Scotus occupat spatium. Ultra Universitas Salmanticensis strictè interdixit, nè Scotisticæ sententiæ Professor publicus distinctam, & aliam, quàm Scoti discipulis præsumat tradere sententiam ob perpetuam Scoti famam continuandam. Ovidius:

*Fama manet facti, remanebit fama periti,
Et memorem famam, qui bene gessit, habet.*

Accedit casus memoratu dignus, quem refert Julius Salius exercit. 327. gravissima Academia Salmanticensis in Theologia præsertim scholastica nulli alteri inæqualis, propter quaspiam exortas disputationes communi suorum Doctorum calculo contra Scotum statuit, ut sola illa, quæ S. Augustini, aut D. Thomæ doctrina esset à Cathedra scholastica publicè traderetur, & Professores ita docturos annò 1627. die nona mensis Junii sequenti obstrinxit juramento:

Ego N. N. juro in quotidianis lectionibus, quas in Academia, vel Cathedræ Moderator, vel voluntarius Professor legero, me docturum, atque lecturum in Theologia scholastica doctrinam S. Augustini, & conclusiones D. Thomæ, quas in Summa Theologiæ docet, ubi horum Sanctorum mens aperta fuerit. Ubi verò anceps, & dubia, nihil docturum, neque lecturum, quod eorum doctrinæ adversari senserim; sed quod vel juxta meum sensum, vel eorum, qui discipuli S. Augustini, & S. Thomæ communiter censentur, doctrinæ tantorum Patrum magis conforme invenerim. Excipio opinionem de Immaculata Virginis conceptione, & ea, quæ jure Ecclesiastico immutata sunt, vel postea im-

muta-

mutabuntur, & quæ olim controversa erant; jam autem constitutionibus Apostolicis sunt definita. Et si quando Scoti, vel Durandi Cathedram moderabor, quamvis ad id teneri nolo; licere tamen mihi volo pro eo tantum tempore probabiles eorum Doctorum opiniones sequi absque perjurii crimine. Constructum erat hoc jusjurandum in odium Scoti, sed audies apud Buchlerum.

Inconsulti abeunt, sedemque odere sybilla.

Præcepta hâc juramenti formulâ Concilium supremum Hispaniæ, quod per Antonomasiâ ibidem specialiter vocatur regium, appellârunt plurimi famosissimi Scotistæ vehementer, & acrius se opposuerunt Fratres Minores; porrectis hinc inde supplicibus libellis maturam ab hoc regio gravissimo Senatu postulârunt decisionem. Conclave ingressi omnes doctissimi annô 1628. sexto Idus Februarii, simul cum Eminentissimo Domino Gabriele de Trejo S. R. E. Cardinali, Episcopo Malacitano, consilii Præsidi, summa maturitate, & accuratissima perponderatione per octo integras horas re optimè discussa unanimiter statuerunt non esse confirmandum hoc jusjurandum; unde illô nullatenus approbatô, ratificatô & confirmatô famosissimam Scoti sententiam ire desertam nolentes, omnes præsentés se propria subscripserunt manu, quorum nomina recensentur:

Eminent. Dominus Gabriel de Trejo S. R. E. Cardinalis.

D'on Ferdinandus Ramirez.

D'on Gondisalvus Perez.

D'on Franciscus de Texeda.

D'on Berengarius de Oaitz.

D'on Gorzias de Aro.

D'on Joannes Coello.

D'on Joannes Chumazaro.

D'on Melchior Molina.

D'on Alphonsus de Cabrera.

D'on Joannes de Chaves.

D'on Didacus de Corall.

D'on Joannes de Frias Mexcia.

D'on Petrus Marmolexo.

D'on Didacus de Contreras.

D'on Franciscus de Alarcor.

Hi famosissimi Viri in Concilio Regio Hispanico Scoti memoriam eliminare nolentes totaliter inverterunt adversariorum tentamina.

Pro Troja stabat Apollo,

Hi bene pro Scoto substituere Viri.

Remansit itaque in præfata hac florentissima Universitate Doctrina S. Augustini, & D. Doctoris Angelici imposterum tradenda; Professura tamen Scoti simul continuanda. Nec illud etiam æquum reputavit consultissimus iste confessus, ut ad aliquorum duntaxat judicium statim nova præordinaretur studiorum disciplina. Itane dispareat Scotus cum sua Schola subtili? itane eliminetur S. Bonaventura cum Alexandro Alensi Doctore irrefragabili? itane abscedat Albertus Magnus cum sexcentis aliis? Ipsos invoco è cælo testes, & causæ hujus judices, ut apertam in hac occasione proferant sententiam, & palàm dignentur fateri: an expediat ad duorum tantundem Doctorū universas referre Romanæ Ecclesiæ decisiones, & quæstiones in materia fidei maximè militantes, ita ut propterea verè censendum sit: quod illi duo dixerunt, soli duo verum dixerunt? nōne plures sunt Patriarchæ, quàm duo, plures Prophetæ, quàm duo, plures Apostoli, quàm duo, plures Evangelistæ, quàm duo, plures Ecclesiæ Doctores, quàm duo; quare non plures Professores, quàm duo? cū DEUS altissimus mundum subjecerit disputationibus. Ante annos abhinc aliquos hoc idem negotium fuit attentatum circa Aquinatis solummodo doctrinam in Academia Complutensi, cogitaverunt quidam adversus

sus Subtilem consilia, quæ non potuerunt stabilire, adversarii in vanum laboraverunt; quia nihil obtinuerunt, dum ad hoc efficiendum misit sub Philippo tertio Gabriele de Cespedes, qui per illum in hoc eliminationis Sententiæ Scoticæ attentamento id præsumpserunt, inanes recesserunt. Hinc nullo Doctorem aspernando subjungo: imitemur S Augustinum, sequamur D. Thomam, consulatur Scotus, non repudientur & alii. Fateor, & semper fatebor, quod Possidonio teste: Augustinus plura scripserit, quàm quis legerit; non nego, nec unquam negabo, quod Thomas Romanæ cortinæ oraculo: Tot quasi fecerit miracula, quot scripsit articulos. Penes hos duos etiam triumphet Ægyptus in suo Origene, cujus purpuratus Hieronymus sex librorum millia se evoluisse attestatur. Celebret Palæstina suum Eusebium Cæsariensem, quod eodem affirmante Hieronymo infinita ediderit volumina. Extollat etiam hunc præfatum Purpuratum Dalmatia, de quo Hypponensis Pontifex censuit: nullus hominum scivit, quod Hieronymus ignoravit. Lætetur in suo Bernardo Burgundia, quod ei Ambrosianum ex asse conveniat elogium: *Laureatus spiritu, scriptis coronetur suis.* Universa Hybernia, universa Gallia, & vix non universa fidelis Christianitas non minùs nostro applaudit Scoto, & dum hunc laudibus effero, nulli vituperium infero. Jactet igitur Antiquitas indefessam suorum Authorum industriam, quorum plurimi plurimas milleno volumine librarias implevisse perhibentur Cameras. Tribuat Laërtius Theophrasto trecentas elucubrations. Suidas Chrysippo septingenta, & plura opera; Volaterranus Aristarcho supra mille Commentarios; Plinius Zoroastri de sola Magia centena versuum millia; Jamblichus Mercurio Trismegisto triginta sex millia librorum, quingentos, viginti quinque; in similibus circumstantiis fidem Authoribus nolo ademptam; sed tamen clam, & palam de Scoto assero: totus ille est ingenium, quod sublime unquam fuit in Platone, solidum in Aristotele

acutum in Chryfippo, fubtile in Democrito, magnificum in Carneade, grave in Zenone, arcanum in Pytagora, hoc in illo fuit tanquam in compendio. Subtiles cogitationes, difcurfus constantes, folidæ fententiæ, congruentiæ mirabiles, inventiones raræ, novitas finè præcipitantia, antiquitas finè errore, fingularitas non temeraria, communitas non vulgaris, expositio optima, denique vix non omnium prædicatorum bonitas, in illo quafi in nuce Ilias, & parvo centro fuit concentrata.

*Surgito miles, bella moventur,
Hostibus amplis castra replentur,
Fræpete Scotum robore cingunt,
Millia jam tentamina fingunt.
Effugit audax nemo cohortem,
Non timet nullus prælia, sortem,*

*Nititur unus pellere Scotum,
Artibus is vult esse remotum.
Scotica tutè turbula plaude,
Non retraberis, pectore gaude;
Tempore quovis alta docebis,
Mille per annos docta virebis.*

CAPUT TERTIUM

De operibus D. Thomæ, & fcriptis Scoti.

NUnquam Zoilus, nunquam Momus, nunquam Homero-Maftix erga alios Doctores visus eft extitiffe Scotus. Æquo ardore authores tam domesticos, quàm externos, ubi judicabat methodo fcholastica redarguendos, modè impugnavit; non minùs D. Bonaventuræ, quàm S. Thomæ argumentorum placita ad veritatis bilancem ingeniofè reduxit; eâ tamen animi moderatione, & proprii iudicii repreffione, ut Authores ipfos non nominaverit, nullius fententiam graviori affecerit cenfurâ, & nullum aliquâ læfivâ nota inufferit. Nil indiffufum ità præterivit Scotus, quod priùs non duxiffet ad lydium lapidem attentandum, & probandum; animadverfus eft fummo cum conamine examinare, calculare, ponderare univerfa rerum principia, radices, fontes, conclufiones, & ipfa denique ultimata rationum ef-
fen-

sentialem fundamenta. Semper modestus D. Thomæ Aquina-
tis æmulus.

Stimulos dedit æmula virtus.

Et suus ex merito quemque tuetur bonus.

Hac de causa Scotus ab aliis judicatur fuisse D. Thomæ An-
tagonista, dum non solum quod sentit, sed & sensus funda-
mentum impensius convellit. Quod ex S. Thoma excipiebat,
& quem facilius alii scholares sequebantur, voluit plus cæ-
teris esse discutiendum. Nunquid & S. Hieronymus vili est
æstimandus, qui in suis scriptis cum S. Augustino aliquando
pugnavit acerrimè? Scotus sentimenta Thomistica nunquam
exagitavit. S. Thomam in summa semper habuit reverentia,
in quem verbum nullum, quod offensionis umbram præse-
ferret, effudit. Ejus doctrinam non nisi justis ponderibus
libratam voluit admittere, & eò ipsò Angelici Doctoris no-
men gloriosius effecit, ejusque sapientiam reddidit illustri-
orem; cum opposita juxta se posita magis elucescant. Nescio
itaque, quid adeò displiceat in Scoto? absque Thomistarum
offendiculo Doctrinam illorum reddidit securiorem, Angeli-
cos discipulos ad Magistri sui documenta clarius illustrando,
animosius defendendo, quoddam velut classicò, aut resonan-
te tuba militari excitavit, & universos Theologiæ Sectatores
constitutis alternis aciebus ad Christiano-Scholasticum bel-
lum generosè convocavit, in pacifica pugna docuit, effecit,
ut quid in duello cum hereticis quotidie ineundo, faciendum
sit, maturè omnes præmeditentur, & qualiter cum vastis fi-
dei inimicis verbaliter, disputativè, vel scriptotenus congre-
diendum sit, opportunè conspiciant. Terentius:

Omnia prius experiri verbis, quàm violentiâ sapientem decet.

Perceperunt utique optimi illi diversarum scientiarum tunc
temporis Professores, & distinctarum cathedrarum institu-
tores magnum studii profectum ex simili scholastica concerta-
tione, & quotidiana dissertatione emanare; quorum aliàs bo-

na ingenia torpescerent, & multorum intellectus hebesceret; si communibus duntaxat principiis, & ubi sententiæ tantum quasi decem Decalogi præceptis, aut septem solum Sacramentis, aut nec pluribus, nec paucioribus, quam quinque defæcto Ecclesiæ præceptis omnes scholæ inviolabiliter se deberent. Ferrum ferrò exacuitur, & unus ponit ad limam sententiam alterius in quæstionibus probabilibus, si plura argumenta diversa conglomerantur, facillè una vel altera retunditur. Expedi itaque contrarias in studiis Ecclesiasticis esse opiniones ad exercendum ingenium, & excutiendam studentium segnitiam, siquidem varietas delectat; ideo non immeritò de hac ipsa Scoti Doctrina elegantissimè scripsit Paulinus Berti ex Familia Augustiniana Vir eruditissimus in Epist. Nuncupat. operum Scoti; si à scholis auferas peculiare Scoti opiniones, reliquum est, ut ipse planè differendi usus, & occasio disputandi languescat. Nonne licet apud Hesiodum:

Doctos amulari cum Doctis.

Magnus ille purpuratus Pater in rebus Ecclesiæ dextre peragendis, & morum gravitate illustris Dominicus Cardinalis Grimaldus in sua Epistola ad Antonium de Fantis, Scotum pro communi utilitate scripsisse testatus est, nempe ut in disputationibus veritas indagetur, perscrutetur, & inventa strenuè defendatur. Ad hoc intentum superaddit Vorinlongus in fine lib. 4. Sentent. Scotus his præcipuis audit Elogiis: *Inquisitor Veritatis, redargutor falsitatis, veri arca, lima veritatis, Cor ingeniorum*; Audit etiam D. Thomas: quòd sit Doctor Angelicus, gloriosus, utilis, solidus, & nervosus, qui Opera scripsit sequentia:

1. mò. Super quatuor libros Sentent. opus stylo disertum, intellectu profundum, apertum intelligentiâ, & novis articulis dilatatum.

2. Summam, quam distinxit libris, materias quatuor librorum aliter ordinans, quam cum pluribus articulis amplia-

plavit subtilioribus quæstionibus, ipsas determinans Sancto-
rum autoritatibus.

3. Opus super quatuor Evangelia Sanctorum autoritati-
bus mirò modò contextum, ex quibus Evangeliorum continua-
vit historiam, quasi unius Doctõris videatur esse postilla.

4. Librum, qui intitulatur: *Contra Gentiles*, rationum
novitate, & subtilitate profundum.

5. Postillam super Evangelium B. Joannis; in qua osten-
dit, quàm altè de suo ingenio adjurus per gratiam ad profun-
da Mysterii libri pervenerit.

6. Commentarios in omnes D. Pauli Epistolas.

7. In Isaiam.

8. In magnam partem Psalmorum.

9. Super Job ad litteram.

10. Quæstiones de Potentia,

11. De Veritate.

12. De malo justa volumina.

13. Compendium Theologiæ.

14. Quæstiones de quolibet.

15. De perfectione vitæ spiritualis.

16. De substantiis separatis.

17. Quæstiones de anima.

18. Super Dionysium de Divinis Nominibus.

19. De Trinitate.

20. De Hebdomadibus Boëtii.

21. Officium de Corpore Christi jussu Papæ Urbani.

22. Librum de causis, & compositiones Proculi.

23. Super Philosophiam naturalem, & moralem.

24. Super Logicam, & Metaphysicam.

25. Contra errorem Averrois docentem unum omnibus
esse intellectum.

26. Contra Guilielmum de S. Amore, ejusque sequaces
damnantes ordines mendicantium.

27. Contra Fraterculos de vita paupere , inducentes novum spiritum libertatis.

28. Contra errores Græcorum de Autoritate summi Pontificis , pluraque alia ponderosi argumenti , nè quis animò hæreret ambiguò de licita horum operum evolutione , ipse DEUS de Cathedra Crucis dictavit approbationem : *Bene de me scripsisti Thoma.*

Volvite Aquinatis doctissima scripta , probati

Nominis est author , quem DEUS ipse probat.

Hæc opera D. Thomæ omnium acclamatione dignissima sunt à nobis audita , audientur & Scoti in lib. 4. hujus operis ; ambos laudo , honorifico , & extollo ; nec cum Scoto reliqui Scotistæ fuerunt inertes in acie Domini , sed selectissimi pugiles : gladiis scholasticis accincti , fortes extiterunt in excubiis custodientes DEI Ecclesiam. Legatur itaque Doctor Aquinas , & non retundatur Scotus , non omnis fert omnia tellus , non omnia possumus omnes , nec quisquam fuit , est , & erit , qui ità omnia enucleatè compilaverit , ut universorum comprehenderit ingenia ; imò nullum esse mortalium , ait S. Augustin. Epist. ad Marcum in princip. cui concessum sit hucusque , ut in nullo penitus erraverit , omnes sumus homines , humanum à nobis alienum nihil putemus , humanum est deviare , quilibet patitur suos manes , præsertim in scriptis , & materia subtili.

Nemo perfectus in arte ,

qualibet , in multis errat & ipse Plato.

Unde quod unus Doctorum omisit , alter supplebit , in quo unus declinavit , alius ad veritatis apicem pertinet. Hoc ipsum non inaniter animadvertit Peripatheticorum Princeps Aristoteles 2. Metaph. cap. 1. & 2. libros posteriores prioribus libris addidisse quasi ad lucem , & limam ; multa correxisse , plura contulisse , plurima permutasse ; cum rebus inventis facile sit aliquid addere , ut tandem ex omnium inventis Doctrina perfecta exoriretur.

Sem-

*Semper est laudis memoranda scire,
Ad locum Pindi sapienter ire;
Scotus, & Thomas docuere multa
dogmate culta.*

*Ambo Doctores, pariter periti,
Corde constantes, animoque miti.
Unus, ac alter meritum decorem,
laudis honorem.*

*Floreat Thomas, vigeatque Scotus,
Flore, doctrinâ, studiisque notus,
Floridam famam bene promerentur,
Ambo notentur.*

CAPUT QUARTUM De Discipulis Scoti.

Post Parentes sunt Professores plurimum reverendi; nam Præceptores sunt alteri Parentes, sunt Parentes non corporum, sed animorum communicantes virtutem, scientiam, & honestatem. Compertum est, inquit Philosophus lib. 4. cap. 7. eos, qui instructores suos coluerunt, ad magnam litterarum gratiam pervenisse. Trajanus Imperator suo tempore ab omnibus commendatus institutorem suum Plutarchum summè est veneratus. Marcus Antonius Romanus aureas imagines suis Præceptoribus erigi curavit. Fasset Alexander Magnus, & sæpius repetiit: Plus tenetor Aristoteli meo Præceptor, quàm Philippo Macedoni meo Parenti, hic mihi dedit vivere, & simpliciter esse, alter verò meliùs esse. Ea excrescet in arbores plantula, eum maturefcet in fructum furculus, quæ semina hortulanus indiderit, & quæ moralia semina præmeditata Pædagogorum cura discipulorum mentibus inferuerit, aut in stolones, aut in ramos abituri, si vel neglecti, vel culti relinquuntur.

Jurati sunt hostes somnus, & studium, inimici perpetui otium, & negotium. Noctes duxit Scotus insomnes, & cum Demosthene Græciæ Oratorum Principe probro sibi duxisset, si quando opificum antelucanâ industriâ victus fuisset. Vigilant operarii fabriles, & malleorum strepitu somnum ignavis excutiunt. Vigilat Advocatus, ut vel implicet, vel explicet lites, vigilat Mercator, ut crumenam vel repleat, vel expleat, vigilat planè fur, ut aliena vel auferat, vel aliis conferat, & nonne stertere oportet studiosum religiosum, ut honestas liberales artes addiscat?

Aurora in studio nobis mortalibus almam

Suppeditat lucem, referens opus atque laborem.

Deus ipse non obscure significavit longè gratissimum sibi, nobisque fructuosissimum esse laborem matutinum; quid enim aliud adumbratum existimamus admirabili illò manna, quò populum Israël in deserto sustentabat? quod ità necessariò sub crepusculum matutinum colligi jubebat, ut ad primos solis radios collinescens tarditatem laborantium, & colligentium eluserit. Qui sapientiæ manna colligere meditatur, auroram præveniat, necesse est. Hujusmodi erant Scoti discipuli à suo vigilantissimo Professore ad vigilandum semper instructi, ità quòd prodierint ex schola Scotica discipuli cum tempore plurium facti sapientissimi Magistri in aliorum exemplum.

Discat, qui nescit; nam sic sapientia crescit.

Educatio mollis rarè bonos effingit discipulos, vitrum quod levi flatu formatur, flatu impulsum rumpitur; ferrum verò malleò in aliquam formam reductum sæcula vivit. Tentandum est aliquid, si volumus fieri aliquid: promptius defacto totum succollat taurum Milo, cui adhuc vitulo ferendo ut puer assueverat, laboribus itaque, curis & molestiis, quibus nullus vitæ status carere potest, mens, & corpus est aptandum, ut ex ætate cerea sentire in ferrea senectute



Stute possimus signacula. Hoc lacænarum Matrum consilium erat, quibus erat solemne vix natos masculos permittere quietem capere in scuto, parvulos incedere in sago, adolescentes fatigare hastis, & sagittis, tubâ clangente somnum intercidere, labore panem venalem facere, & diem laborando consumere. Illarum vestigia Scotus, & ejusdem discipuli sunt diligenter infectati; non quidem labore manuum, sed assidua mentis occupatione.

Primus discipulus commemoratur fuisse Joannes Basilius, *Doct̃or ordinatissimus*, quem tanti fecit Scotus, & hanc in illo posuit æstimationem, ut hoc Joanne in schola solo præsentate sufficiens adesse auditorium fateretur. Habentur in aliquot Gallix Bibliothecis ejus opera manu exarata. Orator erat tam præclarus, quod Rhemis in Gallia anno fortè 1313. nam circa hunc annum floruisse legitur omnium facundissimus acclamaretur.

Secundus Scoti discipulus fuit Antonius Andreas ex Provincia Aragonix, fidelissimus per omnia sui Magistri Sæctor, non minùs pietate, quàm scientiâ conspicuus, Doct̃or dulcissimus nuncupatus.

Tertius Franciscus Mayronius *Doct̃or illuminatus*, vel etiam *Acutus* nuncupatus ex Provincia Ludovici in Gallia, docuit in Sorbona Theologiam scholasticam, ibique ACTUM, uti vocant, SORBONICUM Annò 1315. primus induxit: in quo nempe singulis diebus Veneris per æstatem ab hora 5ta, vel 6ta matutina usque ad horam 6tam, vel 7mam vespertinam, qui Doct̃oris insignia obtinere vult, continuata sinè cibo, vel ulla interruptione disputatione publica, impugnantibus quotcunque velint, aut ultro veniant, respondere debet sinè Præside. Prima hujus concertationis Franciscano, ultima Dominicano decreta est; undè in Galliis vulgò dicitur: *Franciscanus aperit, Dominicanus claudit Sorbonam*. Robertus Siciliæ Rex magni faciebat prælibatum Virum, &

Papa ipse Joannes XXII. auctoritatem suam interposuit apud Cancellarium Parisinum, ut Ei pallium Doctorale conferret, ac in Sorbonam adlegeret. Sanctus Eleazar Ariani comes noxas animæ apud Eum consuevit expiare. Præter Theologica opera scripsit librum unum de formalitatibus, quodlibeta varia, de primo principio, de univocatione, pluraque alia reliquit sui ingenii monumenta, in quibus crebro grata animi recordatione sui Magistri reminiscitur.

Quartus Alvarus Pelagii, Hispanus ex Gallecia, vulgò nominabatur Alvarus Pajo annò 1304. expletò suò tyrociniò in Provincia S. Patris Francisci, in qua se Novitium fuisse attestatur, missus est ad studium Parisios ad Scotum audiendum. Scripsit præter insigne illud opus de planctu Ecclesiæ Apologiam contra Marsilium Patavinum, & speculum Regium, Collyrium adversus hæeres, summam Theologiæ, & quatuor libros in libros sententiarum.

Quintus Joannes Canonicus, sive ordinariè Canon, aut etiam Mambres, ut habet Villotus, in suis operibus citat læpius auctoritatem sui Professoris Scoti, fuit facundus eloquiò, & facundus ingeniò.

Sextus Gualterus Burlæus Anglus sui Præceptoris Scoti acerrimus impugnator, in sua tamen sententia tametsi Scoto opposita bene versatus, eum sexagesimum secundum ætatis annum agentem claruisse, & aliqua memoranda scripsisse commemorat Lelaldus apud Petsæum.

Septimus Franciscus de Marchia, quem ex cognomine Picentem credit Possevinus, & Scoti discipulis annumerat Ferchius, scripsit subtilia, & utilia, vir magnæ prudentiæ, & apud alios magnæ considerationis.

Octavus Landolphus Carraciolus Neapolitanus, vir doctissimus, sanguinis claritate, dignitate Archi-Episcopali, & præclaris functionibus, atque officiis decoratus, ejus commentaria in Evangelia asservantur manuscripta in sacro Conventu Assisinate. No-

Nonus Guilielmus Ocham Magistri sui Scoti contradic-
tor; plus tenuit de rerum nominibus, minus de significatis
entium conceptibus, & essentiis, est novorum scholastico-
rum antesignanus, & indigitatur Princeps Nominalium.

Decimus Joannes de Landuno, Averroistarum ferè præ-
cipuus, plerúmque etiam à sui Magistri Scoti placitis devi-
ans, aliàs suò ingeniò præclarus.

Undecimus Hugo de novo Castro Anglicus, quem Scoti
discipulum, & strenuum suum faciunt defensorem Willotus,
& Pitsæus, fuit vir integer vitæ, exemplaris, tum apud
Ecclesiasticos, tum Sæculares in magna æstimatione.

Duodecimus Petrus Aureolus, qui in schola Subtili fuit
discipulus, in scribendo suo Professori quodammodo æmu-
lus, floret adhuc in multorum memoria, & frequenter ab
authoribus in suis citatur operibus.

Duodecim Christus Dominus elegit Apostolos, duo-
decim S. Patriarcha Franciscus ab origine sui instituti ordi-
nis adscivit socios, duodecim Joannes Duns-Scotus ex Reli-
gione Seraphica numeravit discipulos; per duodecim in
omnem terram exivit sonus Apostolorum, per duodecim
Fratres Minores in omnem terram exivit sonus pauperrimo-
rum Religiosorum, per duodecim Scoti discipulos in omnem
terram exivit sonus subtilium studiosorum. Sapientibus
filiis Pater gloriatur, hoc & in Scoto dignè comprobatur.
Placet Verinus.

Et verbò, & factò parvis fit regula natis,

Exstitit hic omni tempore norma Pater.

Bona fors bonum obtinuisse Magistrū, non procul à proprio
stipite poma cadunt, omnes hi discipuli doctissimi evaserunt
Magistri, & multos cum magna diligentia in lucem publicam
ediderunt tum in Theologiam Scholasticam, tum in sacram
Scripturam commentarios. Bonus Magister bonos creavit
discipulos, & exundante suæ sapientiæ fronte præstanter,
& abun-

& abunde irrigavit ingenia. Qui in unguentaria taberna resederunt, aut paulò diutiùs ibidem sunt commorati, odorem loci secum deferunt attractum; qui in solem veniunt, & aliquò temporis spatiò sub solaribus radiis subsistunt, calefiunt, colorantur, & denigrantur; qui sæpe molendum frequentare solent, albi recedunt; & qui apud Philosophum fuerunt, philosophantur, & ab eo attraxisse aliquid necesse est. Solem intitulârunt Joannem Scotum plurimi, ad se venientes calefecit, illuminavit, & accendit discipulorum animos ad veritatis studium, ità ut omnes arderent, omnes lucerent, & conspiceretur inter discipulos Scotus velut sol inter astra. Multùm interest, quo, & quali Præceptore utamur; usu enim compertum habemus, Instructorum, aut virtutes, aut vitia in mores influxisse alumnorum. Scimus Julianum Apostatam naturâ, ingenioque optimum futurum fuisse Imperatorem, si non ab impiis, & superstitiosis Magistris ante diem corruptus esset; Astrologorum siquidem, ariolorumque, quibus operam dabat usus familiaritate, tunc Libanii Oratoris, & Maximi Philosophi Præceptoris exemplo à Christiana pietate ad impios Græcorum cultus defecit. Michaël tertius Orientis Imperator, natus factus videbatur ad Sceptrum, & Coronam, nisi virtutis ejus indolem Pædagogus, & Barda frater Augustæ Theodoræ depravâssent; duobus enim istis tanquam omnium scelerum bigâ vectus, novus Nero temporibus suis est redditus. Melior fortuna Augusti, melior magni Alexandri, quorum prior Magnus evasit sub Athenodoro Magistro, de secundo loquuntur Philippi Macedonis litteræ ad Aristotelem directæ: *gratias ago Diis, non quia natus est mihi Alexander filius; sed quia temporibus vitæ tuæ natus est; spero enim fore, ut à te edoctus, dignus existat & nobis, & tanto regno.* Bellè cognoverat in labyrintho sui ethnicismi, quod nulla res discipulo sit tam perniciofa, quam vita Magistri contumelio-

meliosa. Vos prænominati Scoti discipuli DEO vero, vivo, immortalis, immortales referte gratias, quòd non tantum in hunc mundum nati, sed etiam quòd tempore Scoti exorti, & sub ejus disciplina ad litteras applicati fueritis.

*Gloria fit Patris, proles fit gloria matris,
Quæ sanctitate splendeat.*

*Gloria Doctoris fit meta scholaris honoris,
Si mente docta fulgeat.*

*Qui non fert luctus, laudatur in arbore fructus
Flos qui rubore polleat.*

*Scotus eos ducet, multis qui postea lucet,
Docturus omnes recreat.*

*Scotum ditavit, Scotum schola tota beavit,
Tulit per astra plausibus,*

*Discipuli ardebant, doctissima scripta legebant,
Illum sequuntur ausibus.*

CAPUT QUINTUM

De osoribus Scoti.

EX omnibus, qui scientias ad meliorem & feliciorum progressum suis hæcenus juvabant monumentis, neminem propè invenies, qui ubique suorum operum calumnias Momorum, & obelos posteritatis effugerint, qui nullibi fuissent allatrati, aut planè aliquod vulnus reportassent. Hoc attestantur authorum elegantissimi, quorum scripta quamvis inculpata, & omnibus eloquentiæ calamitatis decenter compta viderentur, plerisque tamen in locis Aristarchorum lituris sunt expuncta. Cynicum mordentem dentem nec Scotus evasit. Hic quibusdam taxatoribus in suis operibus est obscurus, & Ecclipsis, aliis in solutione argumentorum jejunus, aliquibus in scribendo repit humi, cæteris apparet languidus, & enervis, reliquis

videtur verbo incedere confragoso, & quod omnium molestissimum sufferendum judico: non eruditi homines, qui carent naso, volentes tamen videri nasuti, eandem exprobrandi licentiam induunt, qui vix Philosophiam degustarunt, & sunt sicut canes guttulas aliquot ex nilo bibentes, aut qui velut canes venatici juvenes carnem solum ferinam olfacientes, nullam feram capaces sunt insectandi, & ipsi præsumunt de sybillæ foliis, de scriptis Scoti inexcogitum ferre judicium; sed falluntur haud dubiè, suis cruribus asciam elidunt ex pura invidia; merentur plura accipere, quàm infligere vulnera, quidquid asseritur ab erudito, æternum est, nescit finem, quod profertur ab insulsis, tam citò evanescit, quàm ipsi sunt; vani his insultat Plautus:

Qui invident, egent; illi, quibus invidetur, rem habent.

Infelices forent viri præstantes, si invidia illos non comitaretur, sola humana miseria caret invidiâ. Percurre terras omnes, sæcula omnia præterita, evolve historias, vix virum insignem hoc malo immunem reperies. Iter facientes per solem necessariò comitatur umbra; incedentibus per viam gloriæ comes adest invidia. Scotus vir probus, virtute integer, doctrinâ singularis sublimem affecutus gloriam, à suis adversariis expertus est malam sociam sequelam invidiam; nè inter doctos Doctorum sortem videretur superâsse, præclara ejus doctrina magnum plerumque livorem apud multos excitavit. Ast tanti viri decor ab aliorum dedecore minimè pendet, neque obloquentium ignominia Ingeniorum Phænici pennas, quibus super astra volat, potest extrahere, nec etiam per simulatam laudem quidpiam illi advehere excellentiæ: Scotus super omnem invidiam est, invidiosæ mentes possunt invidere, non nocere, latrare valent, non mordere, falsè obnubilare, sed nunquam obtenebrare. Similiter contingit fulgentissimo
foli,

solī , cui nubes opponuntur , non imponuntur , dum discutiuntur , ingenitæ luci nihil accedit obscuritatis , neque novæ claritatis , sol semper manet sol , sol semper est in suo cursu , semper in suo labore , sub ipso nitet etiam splendore , semper idem ; sive à nebulis obfuscetur , sive ab aëris constipetur passionibus , sive etiam à luna in suo lumine aliquāliter impediatur . Solis in hac materia assecla Scotus non timuit obmurmurantium fulmina , contradicentium tonitrua , insultantium procellas , obloquentium tempestates , & irruentium terræ motus , semper patiens , qui patiens est , perfectus est . Casus adversi cunctas virtutes exercent , probant , & illustriores reddunt ; quia sinè rebus adversis virtus vel est dubia , vel imperfecta , vel imbecillis . Multos subinde numerare adversarios , est quandoque virtutis indicium ; si Pompejus Julium non fuisset cum suo exercitu ad extrema persecutus , nunquam Julius audivisset primum nomen Imperatoris Romanorum . Sic Scoto hostilis conducit insultus , adversarii sui fuerunt gloriæ suæ seminatores , nunquam laurea triumphalis eidem obtigisset , nisi inimici per invidiam eam necere studuissent . Quidam liberioris , quàm par erat , calami obscurare Doctorem nostrum , & suppressere ejusdem famam attentârunt , sed sinè intento semper sunt repulsi iniquè agentes supervacuè , illorum invidia Scoto profuit , & ipsis obfuit . Hesiodus :

Invidiosum præstat esse miserabilem .

Inglorium volunt Scotum æmuli , quem in sphaera studiorum gloriæ suæ authorem deprædicat Ordo sancti Francisci , quotidianis calumniis impetunt , quem Fratres Minores magnum faciunt , & perpetuis condecorant præconiis , obscurare conantur virum , cujus doctrinâ universus Ordo Seraphicus clarescit . Pro meo Scoto viriliùs pugnandum , acriùs decertandum , nervosius scribendum duco , in hoc subtili Doctore mea summopere gloriatur Religio ; unde non li-

cet communis Magistri nostri, & totius Religiosi Instituti nostri famam vilipendere. Ab ipso ferme obitu cæpit Scotus haberi in honore, & magna æstimatione, ejus placere doctrinæ, ejusdem insistere vestigiis; cum laude, & acclamatione audientium sui discipuli tradiderunt Professoris Sententiam, isti iterum subministrârunt aliis, ab his transivit ad posteros, & adhuc posteritatem attinget omnem. Ille à multis sæculis in eruditione scholastica ab universis habetur Minoritis pro Antesignano; quandoquidem in pluribus comitiis generalibus firmiter sancitum est, ut lectores omnes, Professores, & Magistri non minus in cursu philosophico, quàm traditione Theologica ejus inviolabiliter sequantur subtilem sententiam. Mirum sanè est, quomodo omnium infederit cordibus Joannes Duns Scotus, & ejus doctrina præ cæteris omnibus Seraphico præplacuerit Sodalitio, ut postpositis, & neglectis celeberrimis Seraphicis Theologiæ Doctoribus, Alexandro videlicet Alensi Doctore Irrefragabili, & sancto Bonaventura dicto per antonomasiam Doctore Seraphico, quorum scientia est tantopere commendata ab Ecclesia, non alium, quàm Scotum præfixerit. Exinde collige, quòd Scotum sua propria magni faciat Religio non attendens ad invidiam Zoilorum.

Invidia horrendum monstrum, sævissima pestis.

Adest igitur ratio pro hoc Viro gravius agendi, quòd nempe traducatur Vir æquus, qui nulli detraxerit, quòd gratis persecutionem patiat, qui impugnatur sinè crimine, quòd vituperetur ut noxius, qui fuerat undequaque laudabilis, quòd ab inferioris notæ hominibus crimen inferatur ei, qui communem hominum sortem vivendi transcendit. Mordicus defendendus est Scotus, quam defensionem in se strenuè assumpsit Matthæus Ferchius Veglensis Dalmata Minorita Conventualis, qui tres edidit Apologias, primam contra Fredericum Mantenesium, secundam contra Abrahamum Bzovium

vium Polonum, tertiam in Paulum Jovium Novocomensem. Hunc eundem strenuæ propugnationis actum exercuit Pater Joannes Stommelius Colonienſis ex ordine Minorum Conventualium, pro indemnitate Scoti doctiſſimè in Roſtris proclamans. Iſtis ſe adjunxerunt Illuſtriſſimus Dominus Hugo Cavellus Archiepiſcopus Armacanus Hyberniæ primas ex ordine Obſervantium contra eundem ſcribens Bzovium. Accurrit Hugo Magnefius ejusdem Obſervantiæ Almus contra Nicolaum Janſenium Bzovii confodalem. Accedunt & alii Paulinus Berti Auguſtinianus, Petrus Rodolphus, Marianus Florentinus, Ludovicus de Manganella, Marcus Ulyſſyponeſis, Georgius Ruitz, Joannes à Pola, & alii quamplurimi, qui invidioſos Scoti inimicos, & oretenus, & ſcriptotenus juſtâ ſumptâ vindictâ confrontârunt, ità quòd vel digitò, ſua compeſcuerint labia, vel calamos retraxerint à ſcribendo. Rarus eſt ille, qui illatas injurias rideat ut Tiberius, aſpernetur ut Titus, condonet ut Theodoſius, & planè remuneretur ut Auguſtinus; ego injurias Scoto illatas ſcirem etiam cumulare muneribus, niſi votum paupertatis abinde me retraheret, unde ad inſiſctas Scoto contumelias rideo, illas condono, & quia pauper ſum, nihil mali, nec boni retribuò, vade nunc calumniator, & hac inani cum regratificatione contentus vive.

*Hunc perſequuntur invidi,
Valde laceſſunt lividi,
Latrare poſſunt ſtolidi,
Mordere nequeunt ſtupidi.
Eſt ipſe labis inſcius,
Erroris etiam neſcius:*

*Virtute floret candida,
Pietate pollet ſplendida.
Strident in illum dentibus,
Sevis moventur mentibus,
Non curat ullos milites,
Cui dant favorem Calites.*



CAPUT SEXTUM

De hæreticis aspernantibus doctrinam Scoti.

Quanto in pretio Scotus habetur ab orthodoxis, & in Catholicis Universitatibus, tantò eum prosequuntur odiò hæretici Ecclesiam continuò variis contradictoriis persequentes Romano-Apostolicam. Hi premuntur, stringuntur, coarctantur à nervosis Scoti argumentis: anxii timent ejus subtilem modum, & veritatis indagandæ, & probandæ, & refutandæ sectariorum falsitatis. Non immeritò asseruit Jacobus Breullus in antiquit. Parisiensi ex Benedictina Familia vir admodum eruditus: *Scoti memoriam nunquam esse perituram*, præsertim inter scholasticæ sapientiæ Professores, & ob tam præclaram eruditionem, quam scriptis suis inseruit, & est illa hæreticorum impietati, insultui, contradictioni maxime opportuna. Ambrosius Catharinus in disput. ad Conc. Trid. parte Ima, ex prædicatorum Ordine audenter affirmat: *Scoti Laus* quanti sit in Ecclesia, solùm pravâ affecti mente non sufficienter conspiciunt, Ecclesiæ dogmata firmiter comprobavit, hæreticorum insanias egregiè refellit. Clavum clavò expulit, vim vi repulit. Hæreticis adeò est infensus Scotus, ut præter eum paucos alios magis lacerent, nullum acerbiùs mordeant, & neminem magis, quàm illum maledictis insequantur. Sicut obsequium amicos: ita;

Veritas odium parit.

Nullorum Authorum Orthodoxorum amici, sed omnium inimici sunt hæretici, pallium omni vento obvertunt, utriusque fortunæ auram captant, unò oculò cœlum, alterò terram aspiciunt, sunt chamæleonte mutabiliore, cothurnò versatiliore, pilâ mobiliore, Protheo inconstantiores, lunâ instabiliore, & quod summum, omnibus venenosis animalibus venenosiores. Impurissimus Scriptor, & impudicus centuriator Joannes Balæ-

us ad vomitum usque opprobria congerit & calumnias, & contra Scotum agit sævissimè, Papistarum Herculem eum derisorie appellat; quia pro Catholicis eleganter scripsisse, & erga hæresi infectos constanter disputasse opera Scoti luce meridiana clarius demonstrant. Acerbius etiam in eundem invehitur Joannes Casus in summa Dialect. Oxoniensis hæreticus, qui Scotum spinam, & urticam vocitat, atque ex Cathalogo Doctorum vult habere illum expunctum. Menander:

Scripturam ab inimico nunquam putabis amicam.

Plura candidè refert candidus Author Nicolaus Sandenus, dum depascente Angliam hæreseos flammâ voraci, omnia ad suum depravatum usum convertere, & impedimenta suæ pestis diffundendæ remove, artibus quibuscunque studerent hæretici, illam præcipuam excogitârunt nequitiam, ut nempe tollerentur è medio omnes catholici Authores, libri eorum comburerentur, & Vulcano dedicarentur. Ità rei eventum enarrat prædictus Sandenus sub Eduardo sexto impii Henrici octavi digna progenie; omnes libros Doctorum, qui veram Theologiam, cæterasque disciplinas Ecclesiasticas tradiderunt, è catholicorum Studiosorum manibus, imò ex domibus, ex scholis, ex bibliothecis temerariis ausibus excusserunt. Scoti, doctissimorumque Scholasticorum nomina quasi de barbarie, de sacræ Scripturæ ignoratione, & varia deceptionum fraude ignominiosè traduxerunt, eorum memoriam, in quantum potuerunt, usque ad extremos fines terræ contumeliosè relegare studuerunt. Ulterius progressi, ecce quid non enormitatis excogitârunt Angli adversus Scotum, quorum antecessores optimi Catholici illum summo cum affectu connationalem anhelârunt esse suum, impiissimè admiserunt, ut petulantes illorum Juvenes venenô hæreticô contaminati libros Scoti solerter conquissierint, conquistam scriptorum struem in ludicro spectaculo per urbis plateas in feretro circumtulerint, demum cum cantu fune-

funebri in foro publico concremaverint, actumque hunc decentem appellaverint funus, & exequias Scoti, audiatur Eunius :

Pellitur è medio sapientia, vi geritur res.

O Angli, pessimi Angli! Scripta Scoti in Patria vestra concrematis, ex quorum cineribus vivit ille defacto in omnibus quatuor mundi partibus redivivus Phoenix, vestris lachrymis hunc accensum ignem extinguite, & turpem hanc traegediam quasi spongiâ delete.

De infania hæreticantium necdum satis, ex illorum numero quipiam absque omni erubescencia attentant probare subtilem Doctorem Scotum subscripsisse se operibus Raymundi Lulli ab Ecclesia non agnitis, eademque proprio nomine subscripto approbasse. Quæ sint edita in lucem opera præcitati Lulli in fine hujus capituli patebunt; interea prædicta approbatio facta fuit Parisiis annò 1309. in mense Febr. Scotus verò, ut videbitur infra in lib. 4 vitæ excessit 1308. in Civitate Coloniae 8. Novemb. Hoc quidem veritati consentaneum est, ad præfata opuscula Raymundi Lulli duos esse subscriptos Joannes Scotos inter quadraginta Doctores, qui illam artem suâ censurâ approbârunt. Unus ita se subscripsit: *Joannes Scotus in artibus Magister*, en! solum in artibus, scilicet liberalibus, non autem Magister in Theologicis; alter nudè, & simpliciter: *Joannes Scotus*, nonne plures Joannes, plures Scoti? servatur autographum Parisiis, hoc ejus initium:

Universis præsentibus litteris inspecturis, Officiales Curia Parisiensium in Domino Salutem. Noverint universi, quòd in præsentia Magistri Joannis de Salinis, & Michaëlis de Jonquerio nostrorum clericorum juratorum, quibus in his, & majoribus fidem indubiam adhibemus, & quibus quòd ad hoc commissimus tenore præsentium vices nostras supplentes, & propter hoc personaliter constituti, Magister Martinus in
Me-

Medicina, Magister Joannes Scotus in artibus &c. finis verò approbationis ita sonat. Datum annò Domini (de hoc anno imminet lis propter approbantem nostrum Scotum) 1309. die Martis post octavam festi Purificationis Beatissimæ Virginis gloriosæ MARIÆ. Eodem annò, & die factam esse hanc approbationem confirmat Privilegium Alphonfi Aragoniæ Regis datum Neapoli 1449. & alterum Caroli quinti Imperatoris, Hispali annò 1526. colligitur itaque nostrum Joannem Dunsium jam ante unum annum defunctum, libris Raymundi Lulli nullatenus se potuisse proprio nomine subscribere.

Redeo ad opera Lulli, quæ consistunt in aliqua arte superstitiosa, non ab simili illi, per quam tanquam olim Georgias Leontinus (qui primus in conventionem litteratorum hominum poscere ausus fuit, qua de re quisque audire vellet discurrere) de quavis re sermone abundante quis valeat sine fine disserere, & adinvenire quasdam Methodos de nominibus; ac verbis curiosâ eloquentiâ in æternum loquendi, clamandi, perpetuò disputandi, neque ullum vincendi locum aliis relinquendi, res minutissimas, & pusillas in immensum dilatandi. In hoc figmento observari debet, hoc excogitatum ad pompam ingenii, & doctrinæ ostentationem potius, quàm ad comparandam eruditionem valere, & longè plus habere audaciæ, quàm efficaciæ, quis itaque similes levitates à gravi Doctore Scoto sibi prudenter imaginabitur fuisse sua authoritate confirmatas?

Aliud curiosum hic occurrit incidens inter Raymundum Lullum, & nostrum Doctorem Scotum, vidisse & cognovisse Scotum Parisiis Raymundum probabile est, & referunt Lullianæ doctrinæ Sectatores Lullum int' fuisse aliquando Scoti lectionibus in schola publica; in qua, dum submisso murmure, & nutante capite significaret aliqua, ex iis, quæ dictabat Scotus, non adedò sibi probari, illú q;

exterioribus signis Scotus animadvertisset, hominem ab aspectu incultum; & vili indutum amictum non adeo æstimasse, & ut periculum faceret, ac experiretur, quis homo ille sit, & an grammaticam sciret, qui Theologos improbabat? interrogasse: *Dominus*, quæ pars? scilicet orationis, aut prout moderno tempore moris est quærere; *Dominus*, *cujus partis?* Raymundus verbis respondit promptissimis: *Dominus* non est pars, sed totum. Hæc inopinata, & curiosa responsio fecit occasionem profundius loquendi Lullum cum Scoto de aliis rebus altioris momenti, de rebus Theologicis, & Mysteriis divinis. Penitus autem nullum elaboratum opus à Lullo Scotus proprio suo Nomine subscripsit, taceo, quòd sapuisset superstitionem, aut aliquam hæresis notam.

Hereticis lumen, fit & alumen Scotus acumen;
Quæ sua scripta videt
Hæresis, ea cuncta ridet.

Ejus libri unguunt, falsissima schismata pungunt,
Id erudiunt rerum,
Quod est apud omnes verum.

Omnia qui callet, qui nullum dogmate fallat,
Gens inimica negat,
Vult in tenebris ut degat.

Scotistis plenum spuit hæresis ore venenum,
Continet ore virus,
Ut pessima inficit pyrus.

Non hos insultus Scotus pavet, atque tumultus
Hereticus videat,
Ne prostitutus sedeat.

CAPUT SEPTIMUM

De sinistrè censurantibus Scripta Scoti.

Duo, ut audio, in Scoto quibusdam displicent, quæ jam olim Jovius, & alii ejusdem affectionis viri plenis buccis objecerunt. Primum est, quod subtilis Doctor lites seminaverit in scholis immortales, aciesque instruxerit adversantium sibi Religiosorum, quorum sensus unus, cor unum, anima una, sentimentum unum, doctrina una esse deberet. Secundum est, quidquid scripsit, obscuro scribendi modo, densaque involverit caligine.

Carpere cujusvis, non est imitariæ omnis.

Primum redarguo: Scotus pacis amans nulla in scholis disseminavit discordiarum zizania, quid sincerò, & candidò animò conatus est indagare veritatem, mente tranquilla, & pacatò corde recondita fidei Mytheria tractare consuetus. In his explanandis ob suam profunditatem Doctores in varios exspatiantur sensus; nec ulli improbatur, quod propriam suam adaperiat sententiam, tametsi illa à cæterorum Doctorum sententiis videatur recedere. Si alius ægre ferat, quod hic suum sensum depromat, & non alter, idcirco minimè belliger censendus est; quia quot capita, tot sententiæ. Unus alteri in scholis negat, quod sibi affirmare licuerat, dixit unus libere, quod sibi verius visum est, cur & non alteri id ipsum licebit? cùm DEUS altissimus mundum subjecerit disputationibus, ideo licebit etiam sententiam ejus, qui præcessit, in via scholastica bene considerare, examinare, trutinare, & cum dicentibus ex adverso pacificam inire disputationem.

Ipssimum experientiâ constat in Sanctis Patribus sacram Scripturam interpretantibus, aliâ scribendi formâ utitur S. Gregorius. Alio sensu S. Ambrosius, aliâ normâ S.

Augustinus, alia methodo S. Hieronymus, quorum quadruplex sensus nullas in Ecclesia disconvenientias causavit, sed omnes unanimi calculo agnoscuntur Doctores sacrae Romanae Ecclesiae sapientissimi. Luculentum hujusmodi exemplum reperies apud Isaiam Prophetam: venite, disputemus, dicit Dominus, consequenter disputare non est lites inchoare, sed rei veritatem indagare. Plurimorum hæc pessima consuetudo est, ut, dum non possunt rectè argumentantem, & solidè redarguentem ratione refellere, fugam statim capiant ad calumnias, & doctum disertatorem litium cognominare fatorem. Magna est profectò inter litigantem, & christianè disputantem differentia; litigiosus excandescendo contendit verbis, non curans quomodo error veritate, aut falsitate vincatur, sed solum suam sequitur capritiem, & semetipsum reddit cæcum ad claram inspiciendam veritatem. Porro genuinè disputans id verbis peragit tantum, ut nuda rei veritas patefiat, veritas placeat, veritas moveat, veritas arrideat, & veritas tandem triumphet. Doctor Subtilis.

Scriptis, quod nequit sepeliri in pulvere, verum.

Virtutem, & veritatem semper sequitur invidia, quæ si unquam primis sæculis invaluit, nunc invalescit maximè, ita ut vix reperiatur opus, quod vel non sit mancum, & mutilum, aut stupidis taxatorum judiciis corruptum. Quid est causæ, quam ob rem Fabii institutiones nobis tenebræ videantur, lectorésque omnes tertio vix non quovis verbo suspensos retineant? solum calculatorum temeritas, qui, cum Authoris mentem non capiant, omnia invertere, & rotundis quadrata permiscere, ausi sunt; qua etiam facie historiam Plinii naturalem ubique perunxerunt, dum non bene intellectam detorserunt in suum phantasma, nè lectorem destituisse viderentur, seque reos ignorantiaë convicisse, illam spreverunt. Plures forent commemorandi alii,

alii, qui talismodi libitinarum morsus, & rabies declinare non potuerunt. In similibus scire oportet, quod non sit idem omnium gustus, corrigunt *Magnificat*, qui nesciunt *Gloria Patri*, quod est ad unius stomachum, alteri nauseam parit, quod huic placet, isti displicet, huic sapit, isti dissipit, quod hunc excitat, illum sopit, quod unus ridet, illud alius rodit; sic factum est Scoto, qui si etiam non nisi meras odoríferas rosas scripsisset, multis tamen hæ rosæ olerent urticam.

Si te non ungat, videas nè cuspide pungat.

Perscrutatus est Scotus nudam veritatem, & plura aliorum documenta solerter percurrere, ut in vera via ambulare addisceret juxta illud Domini consilium: *interrogate semitas DEI, quæ via est bona, & ambulate in ea.* Subjicio de studioso indagandæ veritatis animo ab omnibus contentionibus alieno, unius Paulini Berti Augustiniani testimonium: *cùm Joannes Scotus, inquit, investigandæ veritatis studio mentis aciem paulò altiùs, quàm alii intenderet, novas rationes & argumenta invenit, peculiare difficultates excogitavit, alias deserendi opiniones præter communes speculabatur unice ideo, ut veritatis amatores, & disputandi periti haberent occasionem commodam, in qua felicissimè exercerentur.* Exinde colligitur, quòd Scotus Pacis amator & non rixarum fautor clam & palam jure merito sit proclamandus. Novit cum Sylio:

Pax optima rerum,

Quas homini novisse datum est, pax una triumphis

Innumeris potior, pax custodire salutem

Et Doctos aquare potens.

In hac opportuna scribendi commoditate adhuc unum superest, ut nempe ab adversariis Scoti putatitia suorum scriptorum obscuritas funditus eliminetur. Obscurum esse dupliciter potest accidere, vel quia de industria, & spontè ita quis loquatur, ut studio non statim prima fronte intel-

intelligatur, quod clarè patet in sermonibus per varia ænigmata propositis. Alterò modò, cùm rerum tractandarum obscuritas, & non nominum, aut verborum sic fieri postulat; nam quæ sunt alta, à sensibus remota, illa ex sua natura sunt obscuritate involuta; hinc Scotus stylum adaptavit rebus abstrusis, absconditis, & profundissimis, per universam Theologiam, & Metaphysicam tum in naturalibus, tum in supernaturalibus scientiis abstractissima speculatus est argumenta. Ideo nihil mirum si terreni sensus obtutum velut inter nubes aquila gloriosè supervolârit. Hoc totum hominibus simplicibus, & humi repentibus apparet obscurum. Accedit: obscurus multis in rebus animadvertitur esse Augustinus, obscurus Aristoteles, obscurus Plato, obscurus & ipse Paulus, de cujus epistola dixit S. Petrus: quædam esse difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, & hoc dictum est de illa Epistola, quæ est ad Romanos, sicut solent potissimum intelligere interpretes, in qua vocatio gentium, reprobatio Judæorum, & prædestinationis mysteria ab illo sunt exarata vociferando: O! altitudo divitiarum sententiæ & sapientiæ DEI, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!

Præterea quidam sunt studiosi delicatuli, qui absque ullo labore affectant omnia scire, & dum altiores non statim percipiunt Authorem conceptus, id non suo imputant imbecilli ingenio, sed docenti facilè notam obscuritatis imprimunt. Præsumptuosos similes Judices non inaniter redarguit S. Judas Apostolus: quæcunque, ait, ignorant, blasphemant; quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur, hi sunt murmuratores querulosi secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superbia n. Eisdem simili affectit censurâ D. Cyrillus Alexandrinus in Joan. lib. I. cap. 21. fatuis consuetudo hæc est, semper sublimiori doctrinæ, quam ipsi

ipſi non intelligunt, detrudere, cùmque attendere magis deberent conceptui, & ſubtilitate rerum elevari, contra dejiciuntur, durum appellant ſermonem, quem admirari deberent. Quapropter minimè condemnandus Scotus, qui profunda DEI ſcrutatus eſt arcana, quæ ex ſua natura ſunt obſcura; unde non Scotus obſcurus, ſed materia obſcura.

<i>Scotus ovator,</i>	<i>Pacis amator,</i>
<i>Bella retundit,</i>	<i>Falſa refundit,</i>
<i>Dogmata tradit,</i>	<i>Per breve vadit.</i>
<i>Scibile purum,</i>	<i>Nullibi durum.</i>
<i>Carmine clarus,</i>	<i>Lumine rarus,</i>
<i>Luce pateſcit,</i>	<i>Nocte niteſcit,</i>

CAPUT OCTAVUM

De deſenſa Immaculata Conceptione, & diſputatione Scoti.

Subtilis Doct̃or ſic inhærebat cæli, terræque Domino, ut ancillam quoque Domini à cultu non excluſerit; quippe nemo rectè vitæ Authorem diligit, qui non diligit vitæ Matrem; perſpectam habuit notitiam: *qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Itaque in honorem Beatiffimæ Matris publicum Pariſiis inivit certamen pro Immaculata ejuſdem Deiparæ Conceptione fortiter manutenenda, qui eandem etiam Oxonii ſecutus fuerat ſententiam, & lib. 3. brevi quidem, ſed ſolido, hoc ſuum aſſertum commendavit diſcurſu. Paulò poſt cum publica, & ſolemniſ de hac materia diſputatio ad ſedandos de hoc motivo jam exortos tumultus inter diverſarum Religionum Doct̃ores Apoſtolicis etiam præſentibus inſtitueretur Legatis, petitus eſt, libénsque venit Oxoniò Scotus, & comparuit Pariſiis ad protegendam Virginis puritatem originalem, cui ſuam omnem ut ſuprà retulimus, cælitus

acce-

acceptam adscribebat doctrinam. Adversæ partis tutoribus se omni conatu opposuit ingeniosissimus Marianus Doctor; maxima autem attulit contraria cohors argumentorum pondera, quibus noster vehementer impetebatur, erantq; numerò argumenta ducenta. Scotus ad hæc omnia intrepidus sinè interrupta hæsitazione, quietò & tranquillò animò attentè omnia percipiens, & mirabili memoria singula suo ordine reassumpsit argumenta solvendo intricatas eorundem difficultates, & implicatos nodos gordios, imò quasi alter Samson Dalilæ ligamina in favorem Philistæorum posita, dexterrimè disrumpebat, quibus feliciter disruptis supe addidit Scotus plurimas fortissimas rationes, quibus Virginem sacratissimam sinè originali peccati macula fuisse conceptam omnium cum applausione admirandissimè comprobavit. Consentit Antonius de Eglise:

Omni labe caret Genitrix purissima Virgo,

Perpetuas laudes Immaculata canit.

Spektaculum hujus disceptationis erat visu, & auditu dignum, plures & ingenio velocissimi Antagonistæ nondum acquiescunt omnes, imò validius, & animosius in magnanimam cæli, terræque Reginam invehentes ancillam Diaboli pro uno tantùm fuisse inclamant momento, ei, inquit, innatum esse Adami peccatum; quia in humano concepta est utero sanguinem ab Adamo hæreditante. Desuper Scotus: istæne vos cogitationes angunt? concedamus intemeratam DEI filiam suam à Protoparente Adamo derivasse sanguinem, concedamus ingente classe cecidisse genus humanum, quis in tali corruentis generis humani casu electam Numinis sponfam Adamitici nævi ream increpabit? fortè ideò; quia *in Adam omnes peccaverunt*? En nulla regula sinè exceptione, ab hac communi lege excepta est Maria, pro omnibus quidem, non autem pro te cælestis Esther hæc lex constituta est. Exigebat hoc

Augu-

Augustissimæ Dominæ dignitas , cujus capiti lævam suam DEUS supposuit , & alia manu complexatus est eam, nè iucumberet in communi submersionis ponto. Ast necdum factis , clamatur , disputatur , altercatur ulterius : omnes nati sunt filii iræ , filii vindictæ ; vide , qualia dictorum fulmina , quàm funesti ensium ictus , quàm nocivi lanceæ ductus ; quid Scotus ? duro nodo durus est adhibendus cuneus , heroicè interloquitur : nihil , nihil ejusmodi cogitate , adhuc manet illæsa , quam peccati vulnus non affecit , vestra verba tela quidem sunt , quæ nec me angunt , nec immunem DEI sponfam tangunt ; gladii non adeò acuti sunt , quos faciliter excipio manu , imò gladii , qui pugiles ipsosmet lædunt , illane , quæ unica æquè polique , solique Domina , & Mater DEI planè existit , illane maculata ? Mater est , de manu Altissimi fabricata , Mater est ab æterno ordinata , Mater Dei est , & ideo sinè labe concepta ; quia Mater est , ideo nulli peccato etiam veniali obnoxia ; quia Mater est , ideo ante omnes creaturas electa ; quia Mater est , sic ipsam concipi sinè originali decuit , sic concipi potuit , sic DEUS voluit , ergo & fecit. Decuit , teste Anselmo : Decuit , ut Virgo , quam DEUS Unigenito suo præparavit in Matrem , eâ puritate niteret , quâ major sub DEO reperiri non potest. Potuit , teste Job : quis potest facere mundum de immundo conceptum femine , nónne tu , qui solus es ? Voluit , teste Augustino : potuit Mariam sinè corruptione DEUS servare , ergo dubitandum non est , voluisse. Fecit , teste Psalmista : omnia quæcunque voluit , fecit ; cur hoc ? quia hæc Mater est , & ille filius , si DEI filius immaculatus , & carne indutus , nónne Mater DEI carne induta maculata ? Mariam DEUS Virginem fecit , & meliorem ex omnibus , Matrem illam elegit , & meliorem ex omnibus , Filium ei dedit , & meliorem ex omnibus : quis jam rationabiliter persuasum eat , illum , qui quartò Decalogi præceptò honorare præcepit pa-

tate Immaculatæ Conceptionis, præfente Reverendissimo Domino urbis Antistite Miſſæ Sacrificium offerente, & uno ex Magistris Concionem habente, quæ ſolemnitas omnis eſt adſcribenda noſtro Doctõri Subtili. De illo Salazar lib. de concept. cap. 13. notat ſequentia: *Subtiliſſimus Doctõr quemadmodum Immaculatæ Conceptionis Author excitit, ità etiam nihil prætermiſit, quod in hoc eventu ad majorem Virginis gloriam deeſſe debuiffet.* Fuit præcipuus puræ conceptionis vindex, & tantam hac authoritate ſua comparavit fidem, quantam nullus ante, & poſt ipſum eſt obtenturus. Dico, quòd tunc temporis pulchrius erat illi nomen *glorioſi Victõris*, quàm *Subtilis Doctõris.*

Qui de publico hoc congreſſu faciunt mentionem, illud ſingulare, & admirandum Poſteritati commemorant exemplum, quòd, dum ad diſputationis arenam procederet Scotus, coram obvia in foro B. Virginis ſtatua ex marmore elaborata humiliter flexerit, humiliter manus levaverit, humiliter oculos in cœlum crexerit, humiliter oraverit, & humiliter in hæc proruperit verba: *Dignare me, laudare te Virgo Sacrata, da mihi virtutem contra hoſtes tuos.* Quam orationem Scoti ad B. V. M. quidam gratus Doctõris diſcipulus ſic ampliavit:

1. *Dignare puriſſima, me nunc Te laudare,
Et te ſine macula conceptam vulgare.
Tuas laudes nequeo Domina ſilere,
Tuò hinc auxiliò digneris favere.*
2. *En! quotquot conveniunt omnes in peccato,
Te conceptam adſtruunt omnibus innato.
Ego autem unicus ſolus ſum relictus
Scotus, qui clientulus tibi ſum addictus*
3. *Quid ſis ſine macula concepta, tuebor,
Concepta in gratia quid ſis, profitebor;
Si meam memoriam digneris fulcire,
Et per aſſiſtentiam tuam me munire.*

4. *Ecce ! Tua gloria in campum prodibit ,
Scotus pro te Domina certaturus ibit.
Memoriam adjuva , ut possim ducenta
Solvere contraria Tibi argumenta.*
5. *Instrue , & animam plus verecundantem ,
Tibi , Mater Domina , se recommendantem
Tuò adjutoriò si velis juvare,
Solutam amodo tento predicare.*
6. *Sedes Sapientiæ fac me sapientem :
Mibi Mater gratiæ , siste te præsentem :
Et juva pro nomine Tuo certaturum ,
Pro honore gloriæ Tuae locuturum.*

Ad illa pronuntiata verba marmorea Divæ Virginis imago innatæ quasi duritiei oblita sacratum inclinando caput , eò miraculò victoriam benignè pollicita est , ac supernum DEI auxilium illi non defuturum sufficienter indicavit. Quod & factum esse communis fert populi Parisiensis traditio , & ipsa prænominata imago rem confirmat visibili , & usque in hodiernum diem perseverante capitis inclinatione , ut testatur Ferchius in vita Scoti , Joannes Pineda Soc. JESU &c. Ad hoc appositè quidam hócce distichò allusit :

*Te radiis Virgo , calamò tu Scotæ decoras
Illam ; flecte genu , flectet Imago caput.*

Assurgant nunc passionati animi , & adversarii Scoti , an promovendo honorem Deiparæ sinè labe conceptæ hoc sit lites seminare in scholis ? an hoc sit ordinem scholasticum reddere turbatum ? an hoc sit in claris terminis esse obscurum ? penæ meæ taciturnitatem impono ; quia detractoribus eo animi candore occurrendum duxi , ut illis inoffensis debitus Scoto remaneat honor , & absque calumniis calumniæ refellantur. Neque enim contradicentium vituperio ego in hoc assumpto opere studeo , sed Scotum meritis laudibus celebros , ut ex hac una de Mariæ intemerati conceptûs sententia reliquis gloriosior

fior eluceſcat, & digniſſimis Poſteriorum votis ſemper collaudetur. Magna ejus gloria eniteſcit in illo epigrammate ad ejus ſepulchrum appenſo, vetuſto quidem, ſed impolito:

Concepta eſt Virgo primi ſine labe Parentis,

Hic tulit, hic hæreſi prælia dura dedit.

Inde genus meriti tantum ſibi Papa refundens,

Doct̃or ſubtilis dicitur, inde dedit.

Summus Pontifex, qui etiam illum dignatus eſt condecorare titulò Doct̃oris Subtilis, erat Clemens Quintus, & à ſuo in Pontificatu Anteceſſore Benedic̃to Undecimo indicta fuit publica diſputatio de Immaculata Virginis Mariæ conceptione, ad quam Scotus comparuit vocatus, & dum prædic̃to Papæ Clementi acumen, & dexteritas Scoti in refellendis adverſantium objectionibus fideliter narraretur, Subtilis Doct̃oris agnomine cum Pariſienſibus illum cohoneſtâſſe repertum eſt. Promiſſum itaque illud, quò ſe in omni eventu honorem Virginis Mariæ propugnaturum obſtrinxerat, in hac occaſione ad nutum obſervavit; Illa ſuppeditabat in hoc arduo negotio ſapientiam, quæ eſt ſedes Sapientiæ, ſubmiſit illi fortitudinem, quæ eſt turris fortitudinis, ſuggreſſit ipſi arma, quæ eſt terribilis, ut caſtrorum acies ordinata.

Mars nos peritos ſævus ad bellum vocat,

Clangore reſonat tympanum, caſtrum locat.

De labe caſtæ diſputat Matris DEI,

Quaſi foret ipſa proles Adami rei.

Concepta (clamant) Virgo cum macula fuit;

Hinc illa pœnam, capta nobiſcum, luit.

Adfers profana, quiſquis hoc Doct̃or doces,

Infulſa loqueris, Virgini ſacræ nocet,

Aſſurge Scote, labium para tuum,

Defende ſtrenue laudis encomium ſuum.

Vincit, triumphat Scotus, id, victoria!

Succumbit hoſtis, ſternitur, id, gloria!

CAPUT NONUM

Mittitur Coloniam. De hac obedientia Scoti.

DOctor subtilis hoc honorabili dotatus nomine, magno discipulorum concursu quotidie in magnum numerum augmentato hucusque Parisiis continuavit solerter docere, donec ad initium anni 1308. supervenerunt Patris Ministri Generalis Gondisalvi litteræ obedientiales, ut Coloniam Agrippinam acturum se conferret. Obtentis his authenticis Patentibus extra Lutetiam in quopiam campo, quò eo die cum suis discipulis remittendi, & recreandi corporis gratiâ in favorabili auræ temperie secessit; promptâ, & cæcâ mox obedientiâ ductus valedixit suis, qui præsentes aderant, & recto tramite Coloniam iter suum assumere cæpit; hoc miratu dignum: antequam ad monasterium libros, & sua scripta collecturus, vel domesticis fratribus ultimum valedicturus rediisset. Admirati discipuli interrogârunt, cur non adhuc semel placeret frequentare Conventum, cæteris domi residentibus, & illorum fraternis favoribus se recommendaturus revertere? Ille dignum humili Joanne protulit responsum: *Pater Generalis Coloniam ire jubet, non ad claustrum ad salutandos fratres. Bene Menander:*

Nusquam negligenda est obedientia.

Gravis profectò, & ponderosa subesse debuit hujus mutationis causâ, ut tam famosus Doctor ex Universitate tam celebri, & vix non omnium prima, destinatus sit ad externos, apud quos Universitas necdum erat erecta, & nec ipsa civitas, quantumvis amplissima, pulcherrima, potentissima, & inferioris Germaniæ Metropolis esset Lutetiæ Parisiorum æquiparanda.

Varii varias referunt desuper censuras: quidam existimant, ut inter Fratres sui Sodalitii Colonienfis formale instrue-

strueret studium. At probabile non est tantum virum, publicum, famosissimum Professore in Universitate Parisiensi illinc amovendum, ut privatæ inter domesticos duntaxat parietes scholæ fundamenta instrueret. Hæc casualis etiam ex alia ratione non videtur subsistere; quia ante Scotum pridem institutum jam studium apud Fratres Minores Conventuales Colonienses probat tabula mortuorum Fratrum ibidem sepulchorum, qualis communiter in Monasteriis Ordinum conservatur. Unde in hac Coloniensium nostrorum tabula sequentes enumerantur Lectores mortui: Frater Andreas quondam Lector Coloniae; Frater Albertus quondam Lector Coloniae; Frater Hymicus quondam Lector Coloniae; Frater Gerardus quondam Lector Coloniae; Frater Wiellemus Lector Coloniae; qui obiit anno Domini 1305. Deinde in eadem tabula post trigesimum quintum legitur: Frater Joannes Scotus Sacrae Theologiae Professor, Lector subtilis nominatus, quondam Lector Coloniae, qui obiit 1308. die octava Novembris.

Alii sibi imaginantur, & dicunt, ideo Scotum missum fuisse Coloniam, ut Alberti Magni discipulis pugnam redintegrantibus, & controversiam de Immaculata Beatissimæ Virginis Conceptione renovantibus obsisteret, eaque dexteritate, ac Doctrinae subtilitate apud Agrippinates, quâ apud Parisienses, Virginis immunitatem à peccato originali assereret.

Quidam existimant, eum proinde missum, ut ibidem per suam Doctrinam novam Academiam cæterarum instar fundare cooperaretur; hoc asserit Petrus Rudolphus fol. 325 quòd Scotus solemne studium, & publicum Coloniae cum aliis erigere, & prima venerit jacere fundamenta. Nec obstat, ut vult Jacobus Mittendorpius lib. de Academia Coloniensi, & Joannes Pithseus de Scriptoribus Angliæ ad Annum 1308. Accademiam hanc posteriori tempore, & primo sub Urbano Sexto, Legatis ad eum ex Mendicantium Ordinibus à
Con-

Consultissimo Agrippinatum Senatu destinatis, ad annum primò 1388. esse fundatam. Non officit hoc, inquam, siquidem possunt hæc & similia ità inter se cohærere, ut hoc negotium Scotus cum pluribus aliis Doctoribus incoeperit, & sub Urbano Sexto alii ex integrò perfecerint. Refertur etiam valde esse probabile, quòd adhuc ante Scotum ibidem laudabiliter docuerit Albertus Magnus natione Germanus, & plerique alii, non tamen in formali, & verè fundata Univer-
sitate. Inter quos

Scotus Doctorum non ultima fama virorum.

Tandem alia supervenit ratio, quæ habetur in annalibus Min. ad annum 1316. num. 38. Emerferat etenim in, & circa Coloniam secta Begardorum, & aliorum, qui se de ordine Apostolorum nimium superbiendo nuncupabant, multoties à summis Pontificibus condemnati.

Fingebant pravorum simulato Numine ritus.

Hi audaci fronte à fidei Catholicæ linea exilientes adversùs fidei orthodoxæ Prædicatores temerariis insurgentibus, præcipuè contra P. P. Ordinis Prædicatorum, & Religionis Minorum, audacissimi usque eò pertigerunt, ut illis in Cathedra more solito prædicantibus nedum publicè obfisterent, sed & petulante clamore concionatoribus verba Evangelica interrompere præsumptuosissimis motibus minimè erubuerint. Fratres Minores hac de re Ministrum Generalem Gondisalvum cum Archiepiscopo Coloniensi fecere certio-
rem; qui informatus pro zelo Christianæ fidei, & Religionis Seraphicæ ardore ferventissimus, illuc Joannem Scotum adhuc in nulla disputatione supervictum, ad capritiosos hæreticos retrudendos, & radicitus eliminandos providentissimè direxit. Contra hos Scotus strenuè disputasse, eorum errores eradicasse, & communi paci refertur solertissimè incubuisse. Apertum extat hominum hæreticorum temeritatis testimonium in Codice statutorum Coloniensium, ubi ad annum

1306. refertur Decretum Henrici Secundi Comitis de Wirnenburg Archi Episcopi Coloniensis sub his verbis: Feriâ secundâ post Dominicam Invocavit, hæreticorum aliqui Patribus Prædicatoribus, & Minoribus in publicis habitis sermonibus temere insultârunt &c. ex quibus concluditur, nimis probabile esse ad sedandas has hæresum tempestates Scotum fuisse missum Coloniâ.

Duplex hæc causa à diversis relata poterat insimul, & eodem occurrere tempore, ac propter has Scotum necesse fuisse expediri Coloniâ; non enim est improbable, quòd tunc temporis fuerit facta intentio Academiam ibidem stabilendi publicam, & eodem temporis spatio hæterodoxos insolentius suum virus diffudisse contra Catholicos. Omnia hæc motiva efficacius disponere poterant mentem supradicti Generalis, ut Doctorem, quantumvis apud Parisienses sapientiâ, & autoritate valde pollentem pro tunc necessariâ temporis exigentiâ ad Colonienses destinaret; cui destinationi Scotus obsecundans sinè mora se expedivit,

Nunquam est præceptis visus parere recusans.

Unum hîc præterire nequeo, Scoto Coloniâ jam jam appropinquanti urbis Proceres cum convocato Clero, & congregato populo processerunt obviam, solemnî pompa usque ad Fratrum Minorum Conventualium Monasterium lætabundi deduxerunt; quasi non aliter, quàm olim adventanti Platoni Syracusanorum Rex quadrijugis albis, & rarè exornata navi gratulabundus occurrerat, ità nobilissima hæc civitas Scoto advenienti magnâ populi frequentîâ, crebro magnatum apparatu, pleno studiosorum concursu eum tanquam solem sibi exorientem cum applausu suscepit. Jacobus Middendorpius attestatur Doctorem subtilem in cænobio suorum Fratrum frequenti schola tradidisse, docuisse, & sæpius disputâsse cum Immaculatae Conceptionis impugnatoribus; hæreticos etiam præcitatos acer-

rimè fuisse infestatum ; juxta illud pentametrum carmen in tabula prope sepulchrum appensum: *hic tulit, hic hæresi prælia dura dedit.* In hoc carmine, quanquam hiulco, non est metri sensus variandus, quia est genuina enarratio Epigrammatorii, & veritas facti; siquidem Scotus revera dedit hæreticis durissima certamina verbis, scriptis, & frequentissimis disputationibus eorum errores heroicè profligans, ipsósque in nullo loco stabiliter subsistere permittens.

*Heretici fides, nos semper fallit amictus,
Non quemcunque vides, est adbibenda fides.
Testis obes factis, nos turbas hæresis actis,
Bella paras, pacis tempora nulla facis.
Heretici os nequam, famam non sustinet equam,
Hinc mala sunt oris tela timenda foris.
Non timet absentem Scotus mordere volentem,
Est fidei iste scopus, non metuatur opus.
Ut subeat munus, bene Scotus dimicat unus,
Hosti præfagit, quod malè pravus agit.*

CAPUT DECIMUM

De Apparitione JESULI facta in Nativitate Domini in facie Scoti.

IN revelationibus Beati Patris Amadæi Angelus eidem apparens testatus est: Joannem Dunsium Scotum à Regina Angelorum plurimùm fuisse dilectum, cùm primus gladium suum exemerit pro Immaculata ejusdem Virginis Conceptione defendenda. Ob hoc tale præmium obtinuit, quod D. Thomas de Aquino à DEO suppliciter exoravit; audivit is à Crucifixo: bene scripsisti de me Thomas, quam ergo mercedem accipies? cui ille: non aliam Domine, nisi te ipsum; bellè Scotum potest alloqui Virgo virginum: bene de me dixisti Scote, quam ergo mercedem acci-

accipies? dicat Scotus: non aliam, nisi te ipsam cum filio, quod & factum est. Quadam nocte in Nativitate Domini Sacratissima Virgo cum Neonato Jesulo apparuit Scoto, seque Salvator ejusdem oculis, osculis, & amplexibus permanenter obtulit. Testatur id ipsum Ferchius in vita Scoti cap. 5. Philippus de Sosa in Chron. Min. lib. 3. parte 2. c. 7. Joannes à Pola in 1. Sent. Paulinus Berti in 4. lib. Sent. Georgius Ruis in 4. Sent. Scoti, Antonius Cucharus parte 2da, & plures alii.

Jesulus est verbum, & quidem Caro factum, de die sunt strepitus, & tumultus, ut hoc verbum bene percipiat, dum medium silentium tenerent omnia Scoto apparuit MARIA de nocte cum hoc verbo. Jesulus est imago patris, ut videatur imago pulchrior, opus est umbrâ, ideo Scoto apparuit MARIA de nocte cum hac imagine. Jesulus est Heros bellicosissimus; *cum dormirent homines, venit inimicus homo.* Hic ut vinceretur, Scoto apparuit MARIA de nocte cum hoc Præliatore. Jesulus est stella: *Orietur stella ex Jacob.* Stellæ oriuntur de nocte; hinc Scoto apparuit MARIA de nocte cum hac stella. Jesulus est ros, Patres in limbo per aliquot millia annorum semper suspirârunt: *rorate cæli desuper, & nubes pluant justum.* Ros plerumque cadit de nocte. Unde Scoto apparuit MARIA de nocte cum hoc rore cælesti.

Gutta hæc est roris, amoris,

Est fons, æternæque spei, pelagûsque salutis.

Quid si hæc nox dies esset, & hæc nox sicut dies illuminaretur? sol est lux mundi, & facit diem, Jesulus est *Lux mundi*, inde facit diem; bene ad propositum scribit noster Lyranus: *nox illa ex claritate divina fuit illuminata, ac si esset dies clarissima.* Si hæc nox dies est, dicitote, ubi sol est? Respondet Malachias Propheta: *Orietur vobis sol justitiæ, & alibi: Oriens est nomen ejus.* Sol aliàs oritur in aliquo signo

Zodiaci, quæritur in quali signo Zodiaci hic Neo-Exortus sol apparuerit Scoto? Fortè in signo Aquarii? fabulantur Poëtæ Narcissum formâ conspicuum se in aqua conspexisse, in figuram se inamorâsse præsentatam, & ut eidem uniretur, se in aquam præcipitâsse. *JESULUS Narcissus speciosus formâ præ filiis hominum, nos homines sicut aqua dilabimur, Ille de celo prospexit super filios hominum, ut videat, quòd verum sit: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut eidem uniretur naturæ, Deitatem suam præcipitavit in humanitatem, & apud Scotum cum illo aqua multa non potuerunt extinguere charitatem.*

Fortè in signo Arcitenentis? effigiatur Arcitenens cum arcu, & sagitta, Cupido etiam efformatur cum iisdem instrumentis. Refert Nirenbergius *JESULUM* quondam comparuisse S. Antonio Paduano in Cupidinis forma, à tergo provisus cum pharetra, à parte ante cum arcu, & sagittis, *sagittas suas ardentibus effecit, & postquam sagittam unam post alteram ad cor Antonianum ab arcu celerrimè dimisisset, se ipsum tandem ad arcum positum in pectus præfatum ejaculabatur. JESULUS sagittarius, sagittæ tuæ acutæ, hunc in illa felici nocte conspiciens Scotus asserere poterat: sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, probâsti cor meum, & visitâsti nocte.*

Fortè in signo Cancri? Cancer retro graditur, *JESULUS sol Oriens ex alto cum vero sole tempore Ezechix regreditur, reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat. Naturam aliquam creatam DEUS volens assumere retrogressus est per decem lineas; ad rem optimè Seraphicus Bonaventura: DEUS novem lineas transiens in decimam venit, quando humanam naturam assumpsit. Per primam lineam intellige Seraphinos, per secundam Cherubinos, per tertiam Thronos, per quartam Dominationes, per quintam Virtutes, per sextam Potestates, per septimam Principatus, per octavam Archangelos, per nonam Angelos, per decimam Naturam humanam,*

manam, in hac retro ab omnibus Angelis gradiendo sol divinus stetit, non Angelifatus, sed humanatus homini Scoto gloriosè apparuit, quid ille in admirationem raptus? ait: *quid est homo quod memor es ejus? nonnè felix cum Simeone? non visurum se mortem, nisi videret Dominum.*

Fortè in signo Capricorni? Capricornus est quædam species hædorum, audiamus sacram paginam Gen. 27. cap. Senit Isaac, & caligaverunt oculi ejus. Vocavit Esau filium suum, ut iret venatum, facerétque pulmentum; interea vocavit Rebecca Mater filium Jacob: affer mihi duos hædos optimos, ut faciam ex eis escas Patri tuo, & benedicat tibi priusquam moriatur. Hic observandum est, nisi Jacob pilosis indutus fuisset vestimentis, benedictionem à Patre suo nullatenus obtinisset. Adam in Paradiso promeruit maledictionem, fecit DEUS tunicas pelliceas, & primos homines pilosò investivit amictu; JESUS, ut pro hac maledictione à Patre cælesti benedictionem adipisceretur, pilosam humanam induens naturam solvit maledictionem, & dedit benedictionem; itaque Scotus accepit benedictionem à Domino, & misericordiam à DEO salutari suo.

Fortè in signo Arietis? redeamus ad librum Gen. 22. dum Abraham intendebat immolare filium suum Isaac, & extenderet manum, ecce *Angelus Domini de cælo clamavit: non extendas manum tuam super puerum, viditque Abraham post ternum arietem inter vepres cornibus hærentem. Quem assumens obtulit holocaustum.* Mundus iste, quid est aliud, nisi ex omni parte formale vepretum, *maledicta terra, spinas & tribulos germinabit tibi.* Inter has spinas secundum S. August. *Christus est aries hærens in spinis,* pro nobis in Cruce immolandus, vidit hoc Scotus Sacrificium vespertinum.

Fortè in signo Libræ? quò major est DEUS, eò minor est homo, quantum distat cælum à terra, tantum distat DEUS, & homo. Homo in paradiso affectavit esse æqualis

DEO, positus est ad bilancem, & inventus est minus habens. Contrarium evenit in Nativitate Domini, DEUS humanatur, & homo Deificatur; coram Scoto positus est DEUS, & homo ad libram, & quia DEUS dicitur homo, & homo dicitur DEUS; refert uterque æquale pondus, juxta Apost. 2. ad Cor. 4. supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus, & experitur Scotus hoc verificatum esse: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.

Fortè in signo Piscis? quod venator insectatur, est fera, quod piscator capit, est piscis, supremus Magister piscatorum est humanatus DEUS, faciens Apostolos piscatores hominum, *hic mundus est mare*, inquit Augustinus, & Ecclesiast. cap. 9. *Sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines*; nemo potest esse Christianus, nisi sit piscis; omnis enim verus Christianus nascitur in aqua, in baptisate, ut deducit Tertul. lib. de bapt. cap. 1. DEUS est Piscator, mundus mare, esca est caro, homo est piscis, ut quidam cecinit:

*Piscator Pater est, mundus mare, filius hamus,
Esca caro, Deitas linea, piscis homo.*

Si piscis est homo, in Nativitate DEUS fit homo, consequenter piscis, & prout quidam ait: *Piscis assus est Christus passus*, hunc cum Scoto finè fine laudent *volucres celi & pisces maris*.

Fortè in signo Tauri? Somnium habuit Pharao de septem bobus macilentis, & dixit ad Joseph: *vidi septem boves in tantum deformes, ut nunquam tales in terra Aegypti viderim*. Interpretatus est Joseph somnium dicens: septem isti boves denotant septem annos steriles, & tempora famis. Ante Nativitatem Domini ab Adamo usque ad Christum incarnandum erant septem tempora sterilia, & tempora famis ob absentiam illius, qui dicit; *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus, & Sum Panis vivus, qui de cælo descendi*. Ab Adamo itaque erant hæc famis tempora usque ad Noë, à Noë

à Noë usque ad Abraham, ab Abrahamo usque ad Moysen, à Moysè usque ad exitum Ægypti, ab exitu Ægypti usque ad Davidem, à Davide usque ad captivitatem Babylonicam, à captivitate Babylonica usque ad Christum nasciturum, à quo tempore DEUS est factus homo verificatur illud Psalmistæ: *Tauri pingues obsederunt me*, & vide, si non taurum saltèm bovem in Christi præsepio, non clamant amplius ex limbo Patres famelici: *aperiatur terra, & germinet Salvatorem*, quia DEUS incarnatus est Verbum Caro factum, præbens Scoto & Regibus delicias.

Fortè in signo Geminorum? volens Propheta Elisæus suscitare puerum mortuum Sunamitidis, incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, oculos super oculos, manus super manus, incurvavit se super eum, calefacta est caro pueri, oscitavit, aperuitque oculos suos. Quæ proportio inter Elisæum utpote virum, & puerum staturâ pusillum? quomodo magnus poterat se coarctare ad parvum? percipiatur Augustinus: coarctavit se super puerum factus quasi alter puer; duo pueri, quasi duo gemini. Homo est statura pusillus, DEUS *magnus Dominus*, & magnitudinis ejus non est finis, homo in paradiso moraliter mortuus, ad hunc resuscitandum contrinxit se amplissimus & maximus DEI filius factus puerulus, parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, homo puer, DEUS factus puer, duo parvuli, duo gemini, & vidit Scotus hoc *salutare DEI nostri*.

Fortè in signo Scorpionis? ad hominum curanda vulnera nihil magis proficuum, quàm præparatum ex Scorpionis corpusculo oleum. Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui despoliaverunt eum semivivo relicto, Samaritanus quidam appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum & vinum. Genus humanum est vulneratus homo iste; serpens in Paradiso

radiso diffundendo suum lethale venenum, Adamum ejus-
que posteros moraliter sauciavit, & dum oleo ad meden-
dum opus fuerat, ecce de caelo veniet medicus, quia in ter-
ra jacebat magnus ægrotus, hunc medicum sponsa in can-
ticis alloquitur: Oleum effusum nomen tuum; DEUS
incarnatus oleo suo, sanguine suo pro nobis effuso sanita-
tem nobis benignè restituit, & tametsi preciosum suum
sanguinem amiserit, oleum tamen & operam non perdi-
dit. Unxit te DEUS, DEUS tuus oleo lætitiæ, mi Scote,
& dicit: *Oleo sancto meo unxi eum.*

Fortè in signo Leonis? humanatus DEUS est Leo de
tribu Juda, diabolus est *Leo rugiens, circuit quærens quem de-
voret*; hi Leones inimici perpetui, fortior tamen Leo de
tribu Juda, quàm Leo diabolus, prior victoriosè trium-
phat, posterior turpiter subjugatur. Utriusque certamen
spectare libet in illo conflictu, quem duo homines fortis-
simi, & adinstar duorum Leonum strenuè dimicantes ini-
verunt tempore Vespasiani Imperatoris. Nudus luctaba-
tur cum nudo, uterque tinctus in corpore oleo, ut appre-
hendi quidem, manu teneri tamen neuter, possit, congre-
diuntur frequentius se tangentes, subito tamen ex mani-
bus velocissimè erumpentes. Unus altero sagacior, ambas
manus copioso implet in terra sparso pulvere, alterum
fortiter apprehendit, robustius tenet & tandem in terram
prosternendo victor evadit. Ut Leo de tribu Juda cum Leo-
ne rugiente dexterius pugnet, & gloriosus de ipso trium-
phet, cogitat sanum consilium, in sua Incarnatione ma-
num suam extendit, apprehendit pulverem, induit homi-
nem, qui pulvis est, & in pulverem revertetur, & hoc as-
sumpto pulvere leonem diabolum stupendè supervictum
perpetuis mancipavit carceribus, & totum genus huma-
num restituit libertati. Hunc victorem vidit Scotus ante
suos oculos nunc in triumpho.

Sit,

Sit, quid quid sit, audacter assero, gratiosum Jesulum nec Scoto apparuisse in signo Leonis, nec in Geminis, nec in Scorpione, nec in Tauro, nec in Pisce, nec in Libra, nec in Ariete, nec in Capricorno, nec in Cancro, nec in Arcitenente, nec in Aquario.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, cancer, Leo, Virgo,

Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Libraque, Piscis.

Unum adhuc signum superest, videlicet signum Virginis; Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, DEUS fortis, Pater futuri Sæculi, Princeps pacis.* In Virgine exortus est Sol justitiæ; Incarnatô Christô in Maria Dominô, & in terris natô vidit Romæ ex Sybillis una in coelesti Sole gratiosam residere Virginem gratiosissimum puerulum in suo gremio gestantem, hoc spectaculum Augusto Cæsari illa demonstrabat digitô, totam eidem explicans historiam. In sinu Virginis vidit Scotus Solem Justitiæ splendidissimos suæ divinitatis radios emittentem, & lumen, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Illud Immaculatæ Conceptionis obsequium erga DEI Genitricem impensum dignô præconiô non potuit defraudari; imò eodem tempore tam Virginis privilegium à Scoto assertum, quàm Scoti fama mirificè diffusa magnum propterea suscipiunt incrementum. Honorificatur Scotus à DEI Matre, quia pro priori DEI Matrem honorificavit, egregiè dilucidavit immaculatum ejusdem conceptum; unde nihil absolum videbitur, si piè teneamus, Scotum esse consecutum vitam æternam juxta illud sapientissimi Regis enunciatum: *Qui elucidant me, vitam aternam habebunt.* Dum cunas Salvatoris tenerrima devotione celebraret, & profunda meditaretur contemplatione, sauciato corde ingeminabat illa sponsæ suspiria: *Quis mihi det te Fratrem meum sugentem ubera Matris meæ, & inveniam te foris, & deosculer te?* Amatoriis verbis petebat Christum sibi dari non solum conceptibilem in suo intellectu, sed & visibilem tanquam fratrem in Virginis gremio ad virginea ejus ubera pendentem, ad

cujus ferventes, & repetitas preces Jesulus cum Maria apparuit in forma alicujus gratiosi parvuli, deditque se in brachia, & amplexus sui devoti servi contrectandum. Post hoc factum ad ulteriora se accingens, & in virtute magis, magisque proficiens propter noviter inchoatam devotionem erga dulcissimum Puerulum, & sanctissimam genitricem deinceps ab esu carnum semper abstinuit. Hanc ob causam & plures alias aliqui inter Beatos hunc Doctorem connumerant; multi etiam eundem devotè invocant, in tribulationibus, atque adversis rerum eventibus se exauditos profitentur, præsertim in Regno Neapolitano, quorum alii speciales sui cultores aliquot donariis, tabellis, laminisque argenteis suam erga ipsum gratitudinem demonstrarunt. Erardus Vinheim Carthusianus in Sacratio Agrippiensi nominat Beatum, Petrus Cratepolius de Sanctis Germaniæ illum inter Coelites numerat, cui assentit nostrum Martyrologium Ordinis. Thomas Demsterus in Apolog. Scotorum, præterquam, quòd eum in Beatorum recenset Cathalogo, refert ex Gilberto Dulcicordii Abbate, Scotos eum colere tanquam coelestis urbis civem, & domesticum DEI. Ego hoc in casu me Sacræ Romanæ Ecclesiæ subijcio, quod illa sentit de Scoto, fideliter sentio & ego.

*En Regina venit cælis apertis,
 Veste micante nitet ornata fertis,
 Cœlestisque cohors eam comitatur,
 Et visâ Dominâ Scotus beatatur,
 Natum secum adfert splendore plenum,
 Cui facit applausum cælum serenum.
 Applicat os ori, Scotum osculatur,
 Replicat os ori, qui sic amatur.
 Brachia protendit, per colla stringit,
 Suaviter affatur, quasi rore tingit.
 Hoc de condigno Scotus meretur,
 Alta per Astra pius, sursum elevetur.*

LIBER QUARTUS

De Hyeme, seu ultima ætate Joannis Duns Scoti.



Audabilia nunquam occurrent artificiosorum opera Pictorum, quæ non conspiciuntur variis cum obumbrationibus artificiosè adumbrata, addere umbram est quasi iconibus lucem conferre; unde opera obumbrationum fati, atque fati deprædicant artefacta excellentium Pictorum. Scotus tandem umbra factus, devenit ad tenebras, & umbram mortis. De quibus plura in sequentibus.

CAPUT PRIMUM

De fabulosa morte Scoti.

Mirum, quàm variè, inconstanter, & fabulosè de morte Doctoris Subtilis scribant authores; non aliter, quàm de Pythagora, & Empedocle gravissimis Philosophis calamum exacuerunt alii, quorum mors subinde in rectam, subinde in partem sinistram multipliciter refertur; quod communiter de hominibus altioris considerationis ab hominibus livore, invidiâ, & odio præventis solet cum nausea evenire, quò major horum fama, eò grandior apud adversarios est ignominia, & ubi de mortuis non nisi bonum deberet esse sentiendum; Zoili tamen sinisterrimè judicant, scribunt, & loquuntur. Quomodo Abrahamus Bzovius nimis festinato funere eum sepulchrò conditum viventem adhuc audet asserere, & in illo misere nimium periisse? præsens funeri non adfuit, & elapsis ducentis post mortem Scoti annorum recursibus hæc fabula primùm excogitata est. Si-

milis fuit adinventa fictio de Bonifacio Octavo Summo Pontifice, quasi ex hac miseriarum valle morte decessisset infelici, extrema manuum devorasse, & capite ad parietem alio miserabiliter occubuisse. Totus iste eventus est repertus contra-rius annò 1606. quò anni circulo inventum est sepulchrò dirutò ejusdem cadaver integrum in Sarcophaco reconditum pontificalibus vestibus amictum; ità, ut ad hoc manifestum spectaculum ipse attestatus sit Bzovius ad añum 1303, num. 7. *Falsum est, quod in Regis Philippi gratiam aliqui impostores olim edicere, quasi Bonifacius in tam violentum incidisset morbum, ut sibi ipsi manus corroserit, & furenti similis vertice ad murum accusso animam exhalaverit.* Nam Bonifacii Papæ sepulchrò apertò repertum est corpus adeò integrum, illæsum, & incorruptum, ut non nisi extremum nasi in illo desideraretur. Si itaque exemplò manifestò compertum fuit in hujusmodi calumniis prævaluisse inimicorum animorum passiones, ut quidam mala mente agitati in gratiam Philippi pulchri sic nominati Gallorum Regis hoc mendacium effinxerint; cur idem Bzovius pariformes calumnias in denominatissimi subtilis Doctoris nostri injuriam effictas etiam non potius refellit, quàm quòd referat ut non oculatus testis. Fabulam de Bonifacio Pontifice eliminat, & novam de Scoto scabiosè excogitat.

Turpia cur narrat falsa mendacia lingue?

Author Bzovius se forsitan reflectet ad Authorem Jovium de Scoto similia etiam emittentem, qui in sua historia plurimà usus est fingendi licentià, quæ de Zenone Isauro aliquando legit, voluit pariter Scoto in adversariorum gratiam affingere quasi signum ad placitum. Hæc ipsa, quæ de Scoto Jovius refert, scripsit, & eventilavit jam pridem Evagius de prædicto Zenone lib. 3. cap. 29. & fusiùs recenset id ipsum Baronius ad annum 401. num. 1. Zenonem comitali morbo, quò crebrò laborabat, arreptum, pro mortuo habitum, vivum fuisse sepultum, & propria sua carne decomesta miserrimè occubuisse.

Quod

Quod si Jovius pro suo arbitrio, & libertate scribendi Scotum nobis pro Zenone supponit, de manifesta falsitate est arguendus; nam quod verificatum est de uno, non est falsidicè sustinendum de altero, præsertim ex inimicitia, & contracto odio. Menander;

Profectò intolerabilis res est, mendacia loqui.

Alii aliud comminiscuntur mortis genus, nimirum accelerato nimiùm funere, pro verè mortuo Scotum subterraverunt. Hoc figmentum sufficienter refellit modus sepeliendi Fratres in Conventu nostro Coloniensi Fratrum Minorum Conventualium usque in hodiernum diem usitatus, ubi Religiosus defunctus in terram excavatam profundè inhumatur: ergo tali modo Scotus priùs debuisset fuisse sub terra suffocatus, quàm in gradibus cryptæ fame enecatus. Unde contra omnem veritatem scribit Bzovius: *Redeunte apud Scotum vitâ, ad petendam opem mugitum edidisse miserabilem, pulsatoque diu lapide, & capite disrupto obiisse.* Datò, non admisso, si sub sepulchrali lapide non minùs gemebundè, quàm clamorosè vociferâisset, quis in Ecclesia ab hominibus in dies frequentata commiseratione ductus illi misericorditer non succurrisset? quis insolitum hunc clamorem aliis non recensuisset? quis Religiosis in Conventu illum non patefecisset? Itâne, quem Civitas Coloniensis à Reverendissimo Patre Generali Ordinis non pridem sibi pro gratia speciali expetiit, homines externi libenter suscipiebant, domestici venerabantur, discipuli intimè diligebant, Fratres tenerrimè amabant, & omnes universaliter cupiebant habere incolumem, & longævum, incuriè permisissent tam horrenda morte perire? Demum adeone Scoti immemores, crudeles, & tyrannicos credemus extitisse Religiosos illos, qui funeri, & sepulturæ præsentés adfuerunt, ut voluntarii immanissimi homicidii periculum, quod præ oculis juxta falsarios imminuisset, contempserint, neque in DEUM, neque in famosissimum com-

munis instituti Sodalem peccare contra charitatem timuerint ?
apage fabula.

Nec quodcunque voles, debet tibi fabula credi.

Nec possunt se authores cum D. Augustino hac in materia excusare, qui scribit: fabula non semper est mendacium, sed quandoque figura veritatis; si fabula coincidat cum aliqua similitudine, & parabola, concessum velim; si est de rebus historicis falsè allegatis, negaverim.

Hujus fabulæ aliquale fundamentum reperio apud Trithemium in Chronol. Belgica ad annum 965. qui sanctissimum ibidem designat virum, Georgium nomine, Archiepiscopum Coloniensem, cujus electioni ex Angelica admonitione Summus consensit Pontifex, & consecrationi interfuerunt à Cœlis S. Petrus primus Christi Vicarius, & S. Ambrosius oleum infundentes. Hic præ nimio erga DEUM altissimum, suosque coelites amore sæpe sæpius abripiabatur in extasim; semel itaque in extasim actum, hærentemque diutius immobilem à Walramo Diacono Episcopatum tunc temporis ambiente, vivum, ait, esse tumulatum. Successu temporis commotus tanti sceleris poenitudine Walramus, post adeptam Episcopalem Coloniensem sedem iter instituit Romam, à perpetrato crimine suo rite confessus ab ipsomet absolutus fuit Summo Pontifice; inter reliqua explendæ poenitentiae opera hoc erat illi singulariter adjectum: aut ut novum institueret Monasterium, aut vetus aliquod in sua Dioecesi Colonensi restauraret divite supellectile. His mandatis obtemperans D. Martini Coloniae adaptatè reparavit coenobium, & Religiosis ex Scotia advenientibus (bene notandum) locupletissimè tunc temporis dotavit. Non immeritò abinde scribit Matthæus Ferchius, & bene infert prodiisse errorem; dum enim monasterium pro Scotica natione populares ob hominem aliquem vivū sepultum Coloniae fuisse exstructum audirent, facilè suspicari, publicè loqui, & vulgari spargi rumore potuit: hanc ob causam
sci-

scilicet illi Scoticæ peregrinanti nationi datum, & concessum fuisse aliquod hospitalitatis domicilium, ob aliquem suæ nationalitatis ita indignè occisum, & crudeliter sepulchro vivum esse injectum. Ex hoc itaque errore Scotum adhuc viventem, & tantùm pro mortuo apparentem fuisse sepulchro infossum, facilè credi potuit. Hæc levis, & inanis fides cum tempore non nisi in purissimum excrevit figmentum. De Genuina ejusdem morte copiosiore institutam discursum capite subsequente. Aufonius :

*Vos magis Historicis Lectores credite veris,
Quàm qui vera tacent, & mera falsa ferunt.*

De modo tumulandi Fratres defunctos in Provincia Colonien. si restat adhuc hoc referendum : nullus fuit unquam hìc usus sepulchrorum concameratorum ; quia nostri Religiosi mortui effossâ, & injectâ humò terræ imponuntur, ita quidem, ut sepulti neque aërem spirare, neque clamare, neque pulsare, neque assurgere, neque scalas, aut gradus ascendere valeant, Nostri etiam habent in more positum, & consuetudinem mortuos alligatis ad asserem manibus, & pedibus inhumandi. Demus ergo hominem vivum, sanum, robustum alligatis asseri manibus, & simul pedibus constrictis ita vinculatum, certè sub terra infossus nec assurgere, nec pulsare, nec gradus (si qui forent) conscendere posset, nec capite pulsandi, nec colligatas manus devorandi potens erit. Quomodo ergo Scotus in sepulchro secundùm adversarios adhuc vivus, & cum morte multis horis luctatus id præstare cum vehementia potuisset. Deinde si gradus ascendit, ibidem pulsavit, & miserabili mugitu clamavit, & hoc in Ecclesia ad introitum Sacristiæ, ubi communis erat hominum transitus, adeone crudeles fuissent in Scotum, ut nec sepulchrum aperire, nec lapidem revolvere unanimiter inter se conclusissent ? Primus hujus figmenti author refertur esse Jacobus Philippus Bergomensis, ante authorem istum non alium invenio, illi successit Hartmanus Schedæ Nüren-

Nürenbergensis, & Sabellicus, qui hunc ex ipso hauserunt errorem, alii postmodum hanc narrationem de manu in manus hominum tractam amplectentes errorem foverunt. Contra hos insurgit Paulinus Borti:

*Dum præclarorum florescit fama virorum,
Et merita ipsorum conscendit in ardua virtus,
Invida mens hominum sequitur vestigia eorum,
Infontesque solet malè denigrare peritos.
Hoc Scoto evenit, cujus post funera virtus
Vivere deberet, dignus super æthera tolli,
Falsum finxerunt, fabella vagatur in orbe:
Nempe quodd is vivus fratrum sit in aede sepultus.
Addunt figmentum, quodd se corroserit ipsum,
Illi testantur, qui nil oculare videbant,
Falsis falsa addunt mendacia plura notantes,
Aut pudet, aut nolunt de Scoto vera referre.*

CAPUT SECUNDUM.

De Genuina morte Scoti.

TRithemius, quantumvis apud hos præcitatos Authores, eorumque ducem Bergomensem, hoc mortis genus de Scoto legerit, nihilominus tanquam Commentitium neglexit, & in suis scriptis nullatenus apposuit. Novit peroptimè tanquam bene illuminatus scriptor, & loco vicinior leviter nimis adinventam fuisse, & fabulosam Scoti mortem, quam ante hunc novum assertorem nullus retulit, neque aliquod de hac mentione monumentum indicavit. Absque ullo discrimine à communi obitu aliorum ità scribit Trithemius: *Joannes Scotus moritur temporibus Alberti Imperatoris annò 1308. 6 Idus Novembris, Coloniae apud Fratres Minores prope Sacristiam sepultus.*

Pro-

Progrediamur nunc de hac Scoti morte ad propositum: si ille non naturali, sed aliquâ violentâ fuisset præventus morte, cur dictus Trithemius illud, quod rei novitate, & notatu dignum circa ipsius mortem observandum occurrisset, omisisset? qui aliâ tam clarè, veridicè, enucleatè annum, mensem, diem, sepulturam, & sepelitionis locum ad amussim commemorat. Cum hoc authore coincidit chronicon Heilsaugiense: *annò prænotatò Joannes Scotus Doctor subtilis Ordinis Minorum moritur in suo Conventu ad introitum sacristiæ sepultus, qui quanta scripserit, quàm subtilia, & profunda in Theologia receptiva, omnes noverunt Theologi, & nos in libro nostro de Ecclesiasticis Scriptoribus annotavimus.* Ad eundem modum chronicon pariter Coloniense 1499. impressum, Scoti mortem refert, & similiter ejus secundus tumulus, in quem translatus est ad chorum. Plautus:

Anno verum, volo mihi dici verum, odi non verum.

Scotus plurimis sacrarum perfunctionum, concionum, disputationum, conversionum, & scriptionum ad fidem veram illustrandam, ad abusos corrigendos, ad religionem amplificandam, ad posteros erudiendos, & ad Romanam Ecclesiam conservandam meritis & virtutibus plenus, *consumatus, in brevi explevit tempora multa, donec pro temporaneis exantlatis sudoribus DEUS requiem ei offerre æternam, & à terrestribus ad cælestia invitatum evehere dignatus est, & ipsâ omnium Sanctorum octavâ die ad omnium Sanctorum Communionem fuit convocatus.* Sic confirmant omnes in hunc annum, & diem, unâ cum tabellis sepulchro affixis.

Mors rapit hinc omnes nullo discrimine, doctor,

Atque rudes, plebem, conspicuosque viros.

Post opera immortalia Scotus moritur, ejus lucida vita extinguitur, sol scientiarum vergit in occasum; non tamen moritur in illo mori nescia suarum virtutum memoria.

Scotus est anagrammaticè *Custos*, custodivit cælestis Matris honorem. Cassiodorus ait: *absomum est portare nomen à significatione alienum*. Superaddit Salvianus: *nomen sine actu, & officio nihil est*. Platonis proverbium erat: *nomen cum re consentiat*. Custos Scotus nomen, & omen non habuit à significatione alienum, non habuit sine actu, & officio, non dissensit à re; siquidem in illo actu Parisiensi publico, dum Immaculatam Sanctissimæ Virginis Conceptionem strenuè propugnauerat, nomine, & re Custos extitit, nunc tandem etiam custoditus in sepulchro. Ille æterna promeritæ virtutis præmia etiam sub sepulchrali lapide non gerit occulta, tegitur nunc ille, quem tibi non una historia detegit, veneraberis profectò illius cineres; si sua facta & acta mente attentâ cognoveris; luge mortuum, quem vix credas fuisse mortalem, sua vivit post funera virtus, & sub lapide perennat sua fama perennis, nullò, etiam nigerrimò atramentò adversantium scriptorum denigrabilis.

Nullò igitur modo ad opprobrium excogitatum censeo (veris Authoribus firmiorem, & securiorem adhibendo fidem) similem mortem in Scoto esse admittendam; hujus meæ censuræ hanc fundatam in apertum profero rationem; quia omnes Authores Scoti decessum recensentes altum tenent silentium de hoc figmento, & sunt illi, qui ante Nürenbergensem, Jovium, & Bzovium de Scoto genuinè scripserunt. Verissimum est, quòd nullus antiquus author illum violenter defunctum esse attestetur, & inaniter inventam fabulam seniorum scriptorum authoritas in tantum comprobatur, quia de hac infelici morte primi authores unanimiter tacuerunt. Imò adducere possum authores illos, qui contra doctrinam Scoti acutò vehementer calamò scripserunt, ex quorum numero in planum advoco Ochamum, & Aureolum, Hervæum, qui decimò septimò annò post Scoti obitum decessit, Joannem Eckium, Paludanum, qui

eodem tempore floruit, in his scriptoribus Scotificæ sententiæ summè contrariis, & de ejusdem non minùs vita, quàm morte mentionem facientibus, nulla prorsus fit memoria, nec unicum in eorum operibus legitur jota, aut apex, quòd scilicet, Scotus vivens debuisset fuisse sepulchro commendatus. Oppositum sentientibus obtrudo Ovidium.

Magna, frequènsque via est, rem fallere, fallere factam,

Magna, frequènsque licet sit via; crimen habet.

Hoc idem de non violenta morte Scoti confirmatur ex attestationibus eorum, qui propiùs ad Scoti sæculum de ejus scripserunt obitu, quorum testimonia subjungam in sequenti capite, inter quæ nullum extat, quod hujusmodi infortunatum indicaret decessum. In hoc assumpto negotio minimè sum arguendus, quasi honori Scoti plus consultum velim, quàm genuinæ rei veritati; tametsi enim apud homines, qui plerùmque externa tantùm respiciunt, repentinos, & inopinatos mortis casus autumnant esse infastos, & accelerati mortalium obitus apud simplices sinistram generant opinionem; apud supremum Numen nihil refert, si hoc, vel illo modo, vel citò, vel tardè quispiam moriatur, dummodo homo bene, virtuosè, catholicè vixerit, & usque ad ultimum instans mortis perseveraverit in justitia; nam quæcunque illæ mortes fuerint, pretiosæ semper sunt mortes justorum. Holcot non ineptè cecinit:

Mors justis subita, quàm præcessit bona vita,

Non minuit merita, si moriatur ita.

Quis filias, & filios Job ruinâ domûs fortuitò oppressos de iniquitate damnabit? quis Simonem Stylitam fulmine percussum, cujus animam ab Angelis supra astra efferri conspexit S. Julianus? quis S. Agathonicum à leonibus discerptum? quis S. Belinum à canibus dilaceratum? nunquid damnandus Papa Martinus hujus nominis Quintus, Paulus Secundus, Carolus Octavus Rex Galliæ, Joannes Albertus

Rex Poloniæ, aliique Viri devotissimi, qui ex improvîso, & insperatâ mortis horâ interierunt! ergone manifesti, vel occulti criminis pœnam luunt similiter mortui? quot sani indies apoplexiâ, subitâ dyssenteriâ, calculi, & laterum dolore, sanguinis profluviô, subitâ iracundiâ, fulmine, suffocatione, homicidiô, aquarum alluviô, domorum ruinâ, incendiô, fumô, saxorum suppressione, altitudinum dejectione, sanguinis constipatione, & millenis aliis modis in ictu, & in momento moriuntur? per hoc tamen nullatenus temerariè judicandum, & minimè inferendum est, quòd talismodi homines ab Omnipotente DEO communiter castigentur; omnium hominum mors est certa; causam autem certam mortis sibi omniscius DEUS reservavit. Quòd si igitur à quopiam Doctorem subtilem apoplexiâ, aut alia quapiam subitanea morte sublatum fuisse scribatur, quid singulare inferendum est ex simili successu plerisque viris pietate, virtute, & doctrinâ præditis, imò sanctè viventibus communi. Author præcitatus Holchot virum refert quendam sanctum inter libros, & actualia studia in suo Musæo derepentè obiisse, & dum aliqui suspicionis calumniam exinde conciperent, visus est unus digitô extensô in apertis bibliis hunc scripturæ versum adstantibus designâsse: *justus, quacunque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Per me perierit pariformiter Scotus, exinde nihil sinistra, nec tu, nec ego inferre possumus, talem eventum tu non ex livore, sed mecum ad historiæ veritatem fideliter insculpas, & in laudem Scoti sequens percurrere Joannis Francisci Maurocini encomium:

Invide livor abi, nihil hęc quod rodere possis,

Momus ab inferno sis licet ore canis.

Quisquis Aristotelis congesta volumina, mirô

Ingeniô sôphiæ credidit esse jubar;

Credidit omnigenas rerum novisse figuras,

Et verè æternos disposuisse polos.

Credidit angelicas etiã penetrâsse catervas,

Quidquid & arctoa Jupiter arce creat.

Eja age! si cupias felix percurrere campos.

Elysios, vitã candidiore frui?

Visurus trinum, atque unũ venerabile Numen?

Præclarum Scoti, perlege lector, opus.

CAPUT TERTIUM

De aliorum Authorum testimoniis circa mortem Scoti.

Scriptores de hac materia infra citati sincerum de obitu Scoti interponunt iudicium, verè asserentes naturali, & non violenta morte ipsum fuisse defunctum; morte tamen celeri, infirmitate non diu prolongata, sed brevi temporis intervallo extitisse & sanum, & ægrotum, & mortuum. Hoc ipsum indicant aliqua carmina ex Epitaphiis excerpta, & ad tumulum Scoti affixa:

Doct̃or subtilis solvens sua lustra Joannes

Scotus in objectis ultima verba dedit.

Ex hoc Parnassi fonte colligitur, eo ipso die, quo repentina infirmitatis imbecillitas eundem fortiter invaserat, publica in arena videtur disputâsse, & probabiliter contra hæreticos Begardos, ad quos extirpandos accitus fuerat Coloniã; frigido etenim tempore, & simul accedente disputationis calore spiritum suum tandem morte approperata placidè exhalâsse, & in manus æterni Patris commendâsse, quod clarè deduci potest ex subjuncto pentametro, vixit studendo, moritur studendo:

Scotus in objectis ultima verba dedit.

Consideratione dignum est, quòd si calore, & disputationis ardore pro fidei, & veritatis zelo in ægritudinem inciderit, & in ea suam animam piè reddiderit Creatori, gloriosius sanè in certamine spirituali vitam profudit, quàm quis alius, qui pro terrena re in pugna moritur temporali. O fortunata mors! quæ quidem fuit pro solutione naturæ debita, sed gratiæ est reddita. Nec tam pro injuria Adami compensanda, quàm pro gloria DEI, & sacræ Romanæ Ecclesiæ incremento comparanda, est suscepta.

Placuit huc in medium adducere testimonia illorum, qui Scoti mortem paulò ab ejusdem transitu veraciter referunt, & nec quidpiam ex his fabulosis commentis intermiscent; attestata firmiora non possunt depromi, quàm illa, quæ exhibet ipse, in quo jacet tumulatus, Conventus. Tria profero, primum habet tabula Fratrum defunctorum, quæ sic sonat: P. Fr. Joannes Scotus sacræ Theologiæ Professor, Doctor nominatus subtilis, quondam Lector Colonia, qui obiit 1308. 6. Idus Novemb.

Testimonium secundum adduco ex versu in ejus Epitaphio appenso, quòd in sua infirmitate mortem sibi imminere senserit, se ad eandem subeundam debite præparaverit, & sibi præsentissimus voluntatem suam voluntati Divinæ conformando lubens sit mortuus, ut colligitur ex hoc metro non quidem hic totaliter appposito, sed in hoc capite infra apponendo:

*Tempore post Christi propria dulcedine lethum
Venit atrox &c.*

In hoc carmine asseritur mortem propria dulcedine, seu lethum Scoto dulciter advenisse; si cum dulcedine ipsi accidit, quomodo festino impetu, & violentiâ repentinâ mors irruisse dicitur?

Testimonium tertium firmiter erui potest ex altero Epitaphio, in quo de subita Scoti morte nulla prorsus fit mentio:

Anno

Anno milleno, ter centum, cūmque adderet octo

Postremum clausit lethō agitante diem.

Supersunt testimonia adhuc alia, & testimonium quartum desumo ex ejus discipulo Antonio Andrea, qui in calce Commentariorum ad Metaphysicam, ubi Scoti doctrinam per omnia fideliter secutus est, ita subdit: *tam sententiando, quàm notando secutus sum Doctrinam Scoti Doctoris Excellentissimi, cujus fama, & memoria in benedictione est, utpote, qui suā sacrā, & profundā doctrinā totum orbem adimplevit, & adhuc facit resonare.* Hoc testimonium excludit saltem omnem malæ suspicionis aculeum, dum memoriam, & famam in benedictione consignatam viguisse adstruit.

Quantum ex Bartholomæo Pisano conformitate 2da, qui in recensu Provinciarum Ordinis ita scribit de Provincia Coloniensi: *Provincia Colonia habet septem custodias, custodia Coloniensis habet locum Colonia &c. in quo loco jacet Doctor subtilis Joannes Scotus, qui ibidem Lector decessit, nihil hic de morte violenta.*

Sextum ex Mariano Florentino lib. 3. cap. 15. proximi post Scotum Sæculi fido historico: *Scotus Colonia tandem consummatus in brevi, ex operibus suis præmia aterna recipit, ibique in Conventu Coloniensi Agripino superioris Germaniæ honorificè sepultus, & in magna veneratione habitus, vitâ excessit exemplari 1308.* En silentium de violenta morte.

Septimum do ex Illustrissimo Francisco Conzaga in Conc. Parisiensi: *Scotus, inquit, Colonia obiit anno 1308. magnò suis Patribus, ac discipulis relicto desiderio.* Enumeratorum horum fide dignissimorum virorum nullus refert violentam mortem Doctoris nostri subtilissimi; quod authoribus junioribus adversæ partis, & eorum fautoribus bene occurrit notandum.

Tres alios pro supplemento addo testantes, qui non solum referunt Scotum communi cum aliis sorte fuisse extin-

stinctum, sed & strenuè retundunt falsiorum argumenta fictitia. P. Joannes Stomelius in sua oratione in ipsa urbe Coloniensi pro rostris habita, in qua longè, latè, largè, & profusè hoc violentum funus acerbissimè impugnat, eoque nihil falsius dici posse generosè asseverat. Petrus Rudolphus Episcopus Senagalliæ Paulum Jovium in suo asserito nulla veridica ratione scribit esse suffultum, & illum tanquam Judicem iniquum in describenda Scoti morte se gessisse. Aubertus Miræus vir sincerus, & candidus historicus hæc subnectit: *Joannes Dunsius Scotus, subtilis Doctor moritur Colonia 8. Novemb. & fabulosum mortis genus illi Jovius in elogiis virorum illustrium affinxit, quandoquidem de violento Scoti interitu nec in manuscriptis, nec in impressis, nec in Bibliotheca, nec in Archivo, nec in ipsis Epitaphiis tumulo appositis quidquam est reperibile. Ex reliquis Epitaphiis hic unum substerno, quod superpositum erat sepulchro paulò post mortem carmine Leonino fabricatum, cujus etiam exemplar conservatur in quodam codice manuscripto Bibliothecæ Minorum Conventualium Coloniensium:*

*Claudatur hic rivus, fons Ecclesiæ, via, vivus.
 Doctor justitiæ, studii flos, arca sopiæ,
 Ingeniò scandens, scripturæ condita pandens,
 In teneris annis fuit: ergo memento Joannis;
 Hunc Deus ornatum, sac calitus esse beatum:
 Hoc patre translato modulemur pectore grato
 Dux fuit hic Cleri, claustræ lux, & tuba veri.*

In alia parte subsequitur alia Epitaphica delineatio, nè illa ob vetustatem posteritati pereat, libuit eam annotare, compositio quidem non habet concinnitatem poëticam; quia in phrasi est demissa nimis, in Pallade aliquantulum rudis, & purum duntaxat præsert modum poëtisandi vetustum.

Doct̃or subtilis solvens sua lustra Joannes,
 Scotus in objectis ultima verba dedit.
 Huic humili casto Francisci chordula renes
 Strinxit, erat sapiens Presbiter officio.
 Fervebat studio nulli virtute secundus,
 Quod didicit; totum mox alios docuit.
 Concepta est Virgo primi sine labe parentis,
 Hic tulit, hic heresi praelia dura dedit.
 Inde genus meriti tantum sibi Papa refundens,
 Doct̃or subtilis dicitur, inde dedit.
 Quatuor in scriptis, quæ sunt divina, probavit
 Hinc reliquis vates lumine plus viguit.
 Quin & sancta mihi, quæ digna problemate liquit,
 Ingeniis nostris fertilia valent.
 Artibus egit opem tutâ, nunc ille modernas
 Prosequitur, pandens, quæ via sit veterum.
 Tempore post Christi propria dulcedine lethum
 Venit atrox raptim carcere composito.
 Dogmata qui quondam retulit non infimus orbi,
 Mortalis cunctis nunc silet exanimis.
 Qui ratione stetit, non victus semper Achilles
 In victus quovis victor ab hoste fuit.
 Scotus defunctus trahitur sub verme vorandus,
 Hunc subeunt vermes, prob, nova præda venit!
 Ante gradus medios, nola nunc ibi pendet ab alto,
 Hic chorus, in terris ossa tenet tumultu.
 Turba futura canet bona, quæ congeffit in unum
 Singula, quæ docuit, scripta relicta manent.
 Flebile qui busti præsens epigramma tueris,
 Hanc animam societ, posce Deum, superis.

CAPUT QUARTUM

De prima, & secunda translatione Corporis Scoti.

Corporibus Defunctorum aliquem exhibere honorem, mos est antiquissimus; Ethnici non Diis solum, qui res humanas gubernare putabantur, sacrificia immolabant, sed etiam mortuis sacra offerebant, ubi præstantiores viri essent mortui, illis pyramis struebatur insignis, & si in bello erant mortui, captivi pro victimis concremabantur. Aræ, seu tumuli ornabantur cupressò, quæ arbor dicebatur funebris; quia semel cæsa non amplius repullulat. Virgilius:

*Aggreditur tumulo tellus, stant manibus aræ,
Defuncti ornantur manes florente cupressò.*

Similem honorem præstiterunt corporibus mortuorum Ethnici, & Catholici defunctis in venerationem magna solent struere Mausolæa. Itaque ad Scoti tumulum gradiamur, quò locò primum translatus sit. Tumulatus verò est ad introitum sacrarii prope Altare trium Regum, ubi per aliquot annos requieuit, donec gliscente ejus famâ, & latius se semper diffundente, nobiliori loco dignè judicata sunt Scoti ossa sepeliri. Quapropter in medio choro sub Campana de tecto pendente in lapidea urna, latiori cooperta lapide, illa sunt deposita, postmodum fossæ terrâ impletæ lapis honorabilior est superpositus, cui inscripta est hæc additio:

*Hic Lector Scotus, subtilis sit bene notus,
Doctor humi stratus, hac subque nola tumulatus.
Pro quo plorate, Christi veniam rogate,
Dicentésque piè: Tu summe DEUS miserere.*

Hujus translationis, & tumuli testimonium perhibet Chronicon Coloniense germanicè à Milmano editum annò 1499. quo anno, si conjecturare licet, tempore Sixti Quarti Mysterium

um Immaculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ Pontificiis est illustratum diplomatis, hoc festum institutum plenariis peccatorum indulgentiis vulgatum, propriô Ecclesiasticô officio decoratum, aliisque prærogativarum incrementis honoratum; hoc cursu temporis decebat Scotum tanquam præcipuum hujus solemnitatis authorem præcellentius innotescere, & in omnium prodire conspectum, hæc est prima translatio.

Accedit secunda, annô scilicet 1509. rursus prodiit Scotus, erutis secunda vice suis ossibus, & prope summum Altare interrim collocatis, donec nobilius monumentum aurichalco affabre elaboratum fabricaretur. Deinde opere completo 1513. sua ossa collocata sunt ad caput sepulchri. Constant omnia hæc ex Chirographo in arcula plumbea prope Scoti ossa invento, quod Josephus Piscilius Melphiensis tunc Commissarius Generalis in Archivo Conventûs pro memoria collocari mandavit, Subsequitur Exemplar:

Nôrum sit omnibus, pateat evidenter universis, & singulis tam præsentibus, quàm futuris, quòd annô Domini 1509. penultimâ mensis Augusti sub Pontificatu Sancti Iulii in Christo Patris, & Domini Julii Divinâ providentiâ Papæ secundi, sub Archiepiscopatu Coloniensi Philippi Deiberstein, atque sub Imperio Maximiliani Archiducis Austriae Electo Imperatore, sub Provincialatu Provinciæ Coloniensis Patre Westeli Goswinch de Monasterio SS. Theologiæ Magistri, sub Guardianatu hujus insignis nostri Conventûs Coloniensis F. Joannis Custer, sub Lectoratu Fr. Wilhelmi Franck SS. Theologiæ facultatis Magistri, sub Pœnitentiariatu Fratris Gerardi Pauli facultatis dictæ Baccalaurei formalis, sub Cursoratu Fr. Corneli de Daventica, sub studiorum Magisterio Fr. Rogerii de Rattinge apertum est sepulchrum Joannis Doctoris subtilis ob singularem affectionem Patrum, & Fratrum. Inventa sunt ejus ossa integra, & admodum redolentia, salubria, & in juncturis alba adinstar lactis uncta, mox in altari summo retrorsum posita, &

paulò post in hoc sarcophago ex aurichalco factò, ut apparet, ex nunc eleemosyna Guardiani prædicti collecta. Annò verò Domini 1513. die 16. Augusti hæc ejus cuncta ossa hoc in sarcophago posita, atque recondita sub Pontificatu Sanctissimi Domini Leonis Decimi, Archiepiscopatu Domini Philippi Deiberstein, Provinciali Ministeriatu R. P. Fratris Hermannii Haberlor SS. Theologiæ Magistri, Custodiatu Friscæ R. P. F. Joannis de Durstein, Guardianatu R. P. F. Gerardi Pauli supradictæ Facultatis Magistri, Lectoratu Fr. Cornelii de Daventia Baccalaurei formati, Senioratu Fr. Jacobi Rutgerii Provinciatoris Conventûs, & Fr. Rogerii Rattingen sacristæ Conventûs, Curforatu Fr. Jacobi de Mondorp, studii Magisteriò Fr. Wilhelmi de Selingen, quò annò in Octava SS. Trium Regum ex tumultu populi Coloniensis decollati sunt in foro Joannes de Reit, Joannes Obdendorp apud nos in Capella sancti Francisci sepultus, & redituarius civitatis Joannes Bergum, aliàs Papægei, & alii plures, ex civibus tres, quorum animæ in pace perpetua lætentur.

Scriptum per me Fratrem Liborium Rodolphi de Conventu Paderbornensi, majoris studii hujus insignis Conventûs Decani annò Domini 1513. die 16. Augusti.

Nobile sanè tunc est exstructum sepulchrum, quod aliquantò clariùs libet hìc describere: descendenti à summo Altari ad Chori planitiem, occurret ultimus gradus lapideus, in quo littteris excultis ità registratur: *Obiit Fr. Joannes Scotus SS. Theologie Doctor, subtilis nominatus*, anno 1308. Distat ab hoc gradu in media planitie chori sepulchrum Scoti unâ pedis geometrici mensurâ, tribùsque ferme geometricis palmis eminent è terra. In medio ænei tegumenti est imago Scoti librum tenentis artificiosè elaborata. Ad ejus pedes ex utraque parte strati jacent duo Leones, velut vigilantissimi custodes; siquidem Leo est vigilantix symbolum, cùm Leo oculis soleat semper dormire apertis. In extremitatibus hujus sepulchri

chri longitudinem ad dexteram, & longitudinem ad sinistram partem occupant pro decore insculpti quidam præclarissimi Religionis nostræ Seraphicæ Doctores; non omnes tamen erant subtilium Principis discipuli, eos ascendens in præsentis sic numero :

Ad dexteram partem conspicitur primò Guilielmus Ocham, secundò Hugo de novo Castro, tertio Franciscus de Mayronis, quartò Richardus de Media Villa, quintò Alexander de Ales. Ad sinistram partem oculis fit obviàm Nicolaus de Lyra, Petrus Aureolus, Rogerus Varro. In superiore parte sepulchri videntur in medio artificiosè exsculpi Pontifices illi, quos Seraphica Minorum Religio tunc erat enixa, videlicet, Alexander Quintus, Nicolaus Quartus, Sixtus Quartus cum propriis eorum stemmatibus. In Angulis latitudinem, & longitudinem ad amussim implentibus considerantur duo Purpurati Patres Cardinales, scilicet Divus Bonaventura Doctor Ecclesiæ, & Bertrandus cum suis insignibus; tegumentum verò est valde egregium, & perpulchro artificis artificio intextum. Non procul à sepulchro statim in chori pavimento lapis quadratus invenitur, his litteris desuper decoratus: *Hic aperitur sepulchrum Doctoris subtilis dicti Joannis Duns Scoti.* Ultimò tandem legendum obviàm stat Epitaphium incisum laminæ æneæ ad pedes affixæ:

*Ante oculos saxum Doctorem deprimit ingens,
Cujus ad interitum sacra Minerva gemit.
Siste gradum Lector, fulvo dabis oscula saxo,
Corpus Joannis hæc tenet urna Scoti.
Anno milleno, ter centum, cumque adderet octo,
Postremum clausit lethò agitante diem.*

CAPUT QUINTUM

De tertia translatione ossium Scoti.

Reverendissimus P. Jacobus Bagnacabalensis Ord. Min. FF. Conventualium Minister Generalis dignissimus coram Illustrissimo Domino Antonio Albergato Episcopo Vigiliarum, & Nuntio Apostolico per tractum Rhenanum cum potestate Legati à latere annò 1619. die 13. Januarii Scoti præcepit ossa diligenter lustrari. Elevato lapide ad Caput sepulchri, & effolis ossibus pedibus Geometricis ad perpendicularum duobus, quadratus lapis alter est elatus. Tunc appruit Calvaria super majora ossa Corporis, quæ interea in sacrario sub duplici clavi sunt reposita. Die sequenti fuit sepulchrum de terra concreta sinè mora eruderatum, parietibus lateritiis, atque firato quadrangulâri opere proportionatè ædificatum. Item duplex fuit arca parata, una lignea, quæ humò sub Scoti ossibus existente repleta, & in fundo sepulchri collocata est; altera plumbea, & in illa rursus alia urna ex quercu elaborata, tegumentò vitreò tecta, in ipsa die 15. Joannis Duns Scoti ossa sunt recondita. Cum Scoti ossibus in eadem arca fuit etiam repositum chirographum superiùs recensitum, & novum factæ tertiæ visitationis attestatum adjectum in vase plumbeo reconditum sequentis tenoris:

In nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen. Aunò post Nativitatem Domini Nostri JESU Christi 1619. Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Papæ Pauli Quinti quartodecimò, invictissimi Imperatoris Mathiæ Austriaci semper Augusti septimò, Serenissimi Ferdinandi Duvis Bavarie Archiepiscopi, & Electoris Colonienis, dum prima die mensis Decembris in hanc Civitatem Colonensem paterno ductus affectu Reverendissimus in Christo Pater Jacobus Bagnacabalensis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Minister Generalis ad visitandum Con-

ventum venisset, cumque salubria plurima in actibus visitationis Conventus, & Ecclesie instituisset incrementa, mandavit quoque prudentissimè, ut sepulchrum Fratris Joannis Duns Scoti dicti Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci Conventualium Doctoris subtilis in medio chori sub campana situm, atque aeneâ laminâ, quæ ipsius Doctoris subtilissimi effigie, præstanter est illustrata, coopertum aperiretur ad videndum, ubi, & quomodo ossa omni veneratione digna pro perpetua memoria requiescerent. Die ergo tertia Januarii præsentibus, & inspectantibus Illustrissimis, & Reverendissimis D. D. Antonio Albergati Bononiensi, Ottone Gereon Episcopo Curienti, simul & Suffraganeo Coloniensi, etiam accedente Reverendissimo Patre Magistro Generali nostri Seraphici Ordinis, præsentem quoque Admodum Reverendo Patre Joanne Pelkingio Ministro Provinciali, item Admodum Reverendo Patre Matthæo Weglensi Provinciali Provinciæ S. Bonaventuræ, pariter Admodum Reverendo P. Ludovico de Castro Provinciali Leodiensi; tandem præsentibus pluribus Patribus SS Theologiæ Doctoribus Gerardo Romero, & reliquis, supra prædictum sepulchrum apertum est per Vespillones sublevando lapidem jacentem ad caput sepulchri, cui inscriptum erat: *Hic aperitur sepulchrum Joannis Duns Scoti Doctoris subtilis.* Effossâ igitur aliquantulum terrâ inventus est Sarcophagus ex lapide vivo, coopertus alio lapide, & in eodem reperta sunt pleraque ossa supradicti Doctoris valde rubea; quia autem hõc modõ repertâ parùm decenter videbantur esse condita, eò quòd ad caput ipsius sepulchri in lapide tantundem sinè omni decore requiescerent; hinc præfatus Reverendissimus P. Generalis præcepit, ut evacuatâ ex sepulchro terrâ opus concameratum sub ipso lapide construerent, in quo supra memorata ossa honestiùs, ac decentiùs pro tanti Doctoris dignitate correspondente collocari possint. Confecta est ergo arca plumbea, cui ossa arculæ lignæ inclusa, piè, & cum magna veneratione sunt

sunt imposita, postmodum in sepulchro cum fornice adaptato reverenter collocata. Sarcophagus quoque ligneus præparatus est, in quo terra recondita est, quæ in ante dicta tumba lapidea ossibus intermixta jacuerat. Hæ ceremoniæ celebratæ sunt assistente, & adspectante cum suprâ recensitis Patribus Reverendissimo Patre Jacobo Bagnacaballensi Ministro Generali Ordinis, cum affectu admirando, zelo, pietate, pro decore, ac illustratione, honore, gloria Doctoris subtilissimi, atque Religionis Seraphicæ emolumento. In quorum omnium fidem Ego Frater Gerardus Romerus SS. Theologiæ Doctor, Notarius ad hoc à Reverendissimo Patre Ministro Generali specialiter deputatus, præsens hoc instrumentum (salvâ semper copiâ ulterioris dilationis) confeci, vocatis ad illud idem corroborandum testibus Admodum Reverendo Patre Uberto Junckmanno Patre Provinciæ, & Patre Joanne Molmanno Tremonienfi. Actum Coloniae in Conventu nostro S. Francisci annô 1619. die mensis ut suprâ,

Frater Jacobus Bagnacaballensis Minister Generalis, Ità est.

Ego Frater Gerardus Romerus SS. Theologiæ humilis Doctor, tanquam Notarius, ut suprâ attestor.

Ego Frater Joannes Felix de Brixia Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci secundus Secretarius fidem facio, prædicta fuisse scripta à P. Magistro Gerardo Romero de Mandato Reverendissimi, in veritatis testimonium, &c. die 15. Januarii annô 1619. in Conventu Colonienfi S. Patris Francisci.

(L.S.)

Plum-

Plumbeum arcæ operculum intrinsecus in membrana offe pellucido tecta, hæc habet: *hæc jacent ossa Fratris Joannis Duns Scoti, Doctoris subtilis, piissimi cultoris, & defensoris Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ; qui è terra effollus, & in hunc locum, terrâ, quæ plenus erat, ejectâ, lapide stratum, jussu Reverendissimi Patris Magistri Jacobi Bagnacabalensis Ordinis Minorum Conventualium Ministri Generalis anno 1619. XIIIX. Calend. Febr. compositus est. Extrinsecus pagina inscripta hæc est: Reverendiss. Pater, Fr. Jacobus Bagnacabalensis, Artium, & SS. Theologiae Doctor, necnon universi Ordinis Minorum Conventualium Minister Generalis annô 1619. dum hunc Conventum visitat, Fratris Joannis Duns Doctoris subtilis meritò nominati, intemeratæ Conceptionis Virginis Mariæ, piissimi cultoris, & acerrimi propugnatoris, ossa, quæ terræ immixta in diem illum usque jacuerant, effossa humò in loculum concameratum, stratûmque ejusdem Reverendissimi jussu constructum, ac plumbeâ arculâ inclusum intulit XIIIX. Calendas Februarii.*

His exactis arca plumbea conclusa est, & à quatuor lateribus, nè possit aperiri, sigillò Religionis Fratrum Minorum Conventualium munita, duobus Provincialibus Matthæo Weglensè, & Ludovico à Castro, præsente Reverendissimo Patre egregii facinoris auspice, toto etiam præsente Conventu, & quàm plurimis tum doctrinâ, tum nobilitate præstantibus viris, qui ad tanti Doctoris reliquias cum aviditate, & anhelatione videndas confluerant; à Sacrario in sepulturam delata, & super asserem in medio sepulchro posita est.

Nec mirum! si defensor Immaculatæ Conceptionis hoc tempore gloriosè exilivit de suo sepulchro, dum paulò ante, annos ante duos, videlicet annô 1617. die 12. Sept. Paulus Quintus Decretò honorificò, postmodum Gregorius Decimus Quintus anno 1622. die 24. Maji, alterò non minùs gloriosò constitutò, celeberrimi Viri Sententiam & Doctrinam

nam extulerunt; jubente primo præfato Pontifice, ut illa in publicis quibûsque actibus, addente altero, ut etiam in secretis scholis doceretur, proferretur, & commendaretur, etiam ab omnibus hoc mysterium inviolatæ Conceptionis Deiparæ celebraretur sub Conceptionis Immaculatæ vocabulo, quo nomine, si non aliunde multis præclaris titulis laudari mereretur, magnis effertur præconiis. Nunc aliud in hac translatione tertia Epitaphium subiterno:

*Parisius plora, mæstis incede lacernis,
 Hic perit in toto, quod volat orbe, decus.
 O Sorbona tuas humiles compone cathedras,
 Cultus ab ingeniis fons sacer artis abest.
 Straminis in vico placidi certaminis ordo
 Cessitat, heû belli desinit esse caput.
 Pondere supremi validos componite luctus
 Dociloqui, pulset tristia corda pavor.
 Hunc posito vultu læto deflete togati,
 Discipulis labor hæc omnibus unus erit.*

CAPUT SEXTUM

Magna æstimatio Joannis Pitsæi de vita,
 & morte Scoti.

Joannes Scotus, inquit Pitsæus, quem alii Dyns, aliqui Duns, nonnulli Duns Scot vocandum putant, vulgus Joannem Duns Scotum communiter appellat, fuit vir ingenio ad litteras planè admirabili, & ita industrialiter acuto, ut non tam hominem mentis acie stupendum, quàm inter argutissimos scientiarum Doctores quendam per excellentiam dixeris supremum Magistrum. Postquam Oxonii aliquot annos magno cum fructu litteris admirabilem navasset operam, in Patriam suam Northumbriam reversus apud novum Castrum Dunelmensis Episcopatus Oppidum non

non ignobile, Divi Francisci Seraphici sanctionibus deliberatō dudum animō se obstrinxit, nonnisi DEO ad dies vitæ humiliter inservire se resolvit, Sacræ Religionis habitum summa cum submissione devotè suscepit, & post sacram Noviciatūs probam professionem edidit Religiosam. Successu temporis denuo cum Superiorum suorum mandato fuit ad Oxoniensem Academiam expeditus, hucusque intermissum nonnihil studiorum curriculum, ardente quadam discendi aviditate, & quasi inextinguibili scientiarum siti redintegavit. Indefinenter omni facultatum generi ita sedulò inhæsit, quodd dignè, & justè promeritus fuerit supremam in sacra Theologia Doctoratūs consequi Lauream; Doctor itaque in hac solemnissima facultate est plausibiliter creatus, & desuper omnium cum aggratulatione publicus Professor denominatus propter suorum scriptorum excellentiam: ad quæ scripta Andreas Mocenicus ita scribit:

*Isthic invenies sacratiora,
Et quæ christicolæ ad astra tollunt,
Quæ mirò ingenio Scotus reliquit
Tanquam lumina posteris beandis.*

Oxonii deinde Magistrum sententiarum Petrum Lombardum, qui primus Theologiam Scholasticam in Libros Sententiarum, in Disputationes, in Quæstiones, in Articulos, & Sectiones prudenter ordinaverat, explicavit ad stuporem. Postmodum anno 1307. à suæ Religionis Superiore Tholosæ in celebrato Capitulo constitutus est Regens studiorum, Professor etiam Parisiensis, ubi copiosissimos suos discipulos in Theologiæ cursu præclare edocuit. Tandem Coloniae Agripinæ idem præstitit speculativum officium incredibili cum Auditorum profectu; & mira ingenii sui testificatione; quandoquidem nihil erat tam obscurum, nihil tam densa caligine involutum, nihil à sensibus ita re-

motum, quod ille sibi, & aliis non reddidisset clarum, ac perspicuum, nihil tam abstrusum, quod vis tua admiranda intellectiva sufficienter non penetrâset, nihil tam nodosum, quod ille quasi novus OEdipus non faciliter dissolvisset. Apud ipsum

Et labor, & studium doctos genuere Magistros,

His sine consequitur nemo magisterium.

Non desunt, qui scriptis exarant: hunc fuisse primum Authorem, & Institutorem Academiæ Coloniensis, eumque illuc missum à Primoribus prænunciatæ urbis obviâ procedentibus cum Clero, & populo perhonorificè susceptum, atque pompa solemnî usque ad Conventum suorum Fratrum fuisse deductum. Scholas postea aperuit, sacram Theologiam docuit, indelebilia ingenii sui talenta ibidem reliquit, itâ, ut hucusque excellentis hujus Doctoris nomen, & Viri admirabilis famæ memoria summa in æstimatione illic semper celebretur. Ego condecoro illum cum dysticho Martialis:

Ore legor multo, notumque per Oppida nomen

Non expectatô dat mihi fama rogô.

Scriptit autem Scotus pro sua brevitate vitæ non minùs altitudine rerum, quàm copiositate librorum planè admiratû dignissima, non nisi annum trigessimum sextum suæ ætatis attingens.

Leituram in Genesim	- - -	liber unus.
De rerum principio	- - -	lib-r unus.
Manuscripta Oxoniensia	- - -	libri quatuor.
In Epistolas D. Pauli	- - -	libri plures.
Sermonem de Sanctis	- - -	liber unus.

Alia manuscripta Oxonii in primum librum Sententiarum cum his versibus in fine libri appositis:

Illud opus scripsit, Scotus dum corpore vixit,

Parisiis dixit, & ob hoc sua fama revixit.

Nam

*Nam sibi subtilis nomen subtilia donant,
Quem vestis vilis, pauper quoque chorda coronant.*

In eundem Magistrum Reportationes Paris.	libri quatuor.
De Cognitione DEI	liber unus.
De perfectione statuum	liber unus.
Manuscripta in Collegio S. Benedicti.	
In quatuor libros sententiarum	libri quatuor.
Quodlibeta Scholastica	liber unus.
Quæstiones in Porphyrium, & Aristotelem	liber unus.
De modis significandi	liber unus.
De libris priorum, & posteriorum	libri duo.
In Cathogorias Aristotelis	liber unus.
Quæstiones universalium	liber unus.
Quæstiones Prædicamentorum	liber unus.
Quæstiones in Metaphisicam	libri 12.
In analytica Posteriorum	libri duo.
In Aristotelis Physicam	libri octo.
In ejusdem Metheora	liber unus.
In Elenchos	liber unus.
In Theoremata	liber unus.
Quæstiones in libros de anima	liber unus.
Commentarios imperfectos	liber unus.
Collationes Parisienses	liber unus.
Tetrogrammata quædam	liber unus.
Commentarios super quatuor Evangelistas	libri duo.
Et alia quàm plurima opera laudatissima, præter quæ reperiuntur ejus editiones octo aliæ distinctæ in Collegio Mertonensi, quinque aliæ in Collegio Balliolensi, & Cantabrigiæ in Collegio Sancti Patris Francisci. Hi sunt proficui Scoti labores.	

*Artis origo labor, quem qui non ferre recusat,
Præmia fert tandem digna labore sua.*

Scotus tandem non senio confectus, sed ætate virili tempestiva morte abreptus est Colonia apoplexiâ tactus sexto Idus Novemb. annô Domini 1308. sub Angliæ Rege Eduardo Secundo. Hæc de vita, & morte Scoti commemorat Joannes Pitæus Author fide dignissimus, cui se cum suppositis versibus associat Vincentius Diedi in Scoti libros:

*En nitet astrigero Scotus modò clarior orbe,
 Quæ nec & œdipus solveret, ecce patent.
 Námque stagiræi clarent ænigmata, nec non
 Quidquid Avicenna scripsit, & Averroes
 Abdita panduntur non tantùm dicta sophorum,
 Sed quidquid sancti jam cecinere Patres
 Hæc monumenta legas quicumque arcana recenses,
 Noscere Aristotelis, & sacra sensa Jovis.*

CAPUT SEPTIMUM

Virorum autoritativorum æstimatio de Doctrina Scoti.

LAUS tunc est vera laus, quando veræ virtuti debetur, etiam laus tunc est vera laus, quando illa ab ipsissimis provenit adversariis; cum communiter à similibus vel vera alterius laus ex odio concepto prætereatur, vel subinde invidia comitetur, & prorsus reticeatur. Laus ab adversario est rara avis, imò

Semper laus celebris, nullò debilis ævò.

Schola Thomistica, Neuterica, & Scotistica nonne per aliquot jam retrolapsa sæcula est quasi à diametro in multis sententiis sibi opposita? Audiamus nihilominus encomiorum numerum Scoto, & Scotistis tam à schola Thomistica, quàm Neuterica concinnatum.

Joannes de Ragutio D. misicanus-orat. in Concilio Basileensi habita inquit: *Scotus præ altitudine, & subtilitate doctrinæ antonomastice nomen Doctoris subtilis in scholis obtinuit.* S.

S. Antoninus Ord. Prædicatorum tit. 42. cap. 7. §. 11. hæc refert: *Joannes Scotus, qui scripsit super sententias multa subtilia, abinde dicitur Doctor subtilis.*

Thomas de Vio ex Familia S. Dominici in Comment. 1. p. quæst. 14. art. 13. rarum ibidem profundissimæ Scoti doctrinæ profert encomium.

Sixtus Senensis ex eadem Dominicanorum Religione tom 1. Bibliot. fol. 285. scribit: *Joannes Dunsius vir admiranda eruditionis, & subtilitate præditus.*

Alphonsus Ciacconus Dominicanorum instituti alumnus in vita Clementis Quinti Summi Pontificis notat: *Scotus in Divinis Scripturis, & Philosophia peripathetica versatissimus, ob ingenii acumen, & rerum abditissimarum interpretationes Doctor subtilis vocatur.*

His accedunt PP. Societatis Jesu: Bellarminus ex præfata Societate de Scriptoribus Ecclesiasticis de nostro Doctore commemorat sequens elogium: *Joannes Scotus Ordinis Minorum vir fuit acutissimo ingenio præditus.*

Leonardus Lessius è Societate Jesu in censura scripti Oxoniensis ait: *Nemo est qui nesciat Scotum esse Cotem ingeniorum, & limam subtilioris Theologiæ, quæ in scholis, & eruditissimis disputationibus triumphare consuevit.*

Ferdinandus Salazar è Societate Jesu lib. de Immaculata Conceptione cap. 42. asserit: *Joannes Duns Scotus præcipuus, & maximè pure conceptionis vindex, tantam doctrinæ suæ Authoritate fidem comparavit in hac materia, quantam nullus alius ante, vel post ipsum.*

Antonius Possevinus è Societate Jesu in suo apparatus, in quo de Scoto mentionem facit: & inquit: *in scripturis divinis, ac in Philosophia Aristotelis aded præstitit, ut in disputationibus palmam cæteris præriperet, cujus doctrinæ grave illud testimonium exstat, quod ejus libri absque ullo erroris novo usque in hanc diem trecentis circiter annis in œcumenicis consiliis invio-*

lati

lati permanserint. Deinde superaddit: *haud mirum, si ingenium Doctoris subtilis modestiâ & charitate præditum sensus eruerè potuerit ad veritatem indagandam.* Nunquam suam sententiam profert in aliorum injuriam, vel depressionem, quoniam quorum errores convellit, aut opiniones discutit, ad eò id modeste, & plerumque suppresso nomine facit, ut Christiano pectore hausisse à Domino sapientiam conjici possit. Scoti opera inoffenso sunt decurrenda pede, sicut de Sancti Hilarii libris quondam scripsit ad lætam S. Hieronymus Ecclesiæ Doctor.

R. P. Labbe Societ. Jesu Theologus singulare elogium in laudem Scoti concinnavit, teste Ambrosio Peuplus, & P. Antonio Villingh, quod verbotenus, tamquam virtutum ejus compendium adtexere volui. Estque sequens:

Hic pene ante subtilis fuit, quàm homo esset: occultavit patriam suam dum nascitur, ut subtiliter nàci posset. Tria Regna de eo sic disputant, ut nullibi ferè natus sit, dum ubique nascitur. Cessate lites! ibi Scoto patria est, unde illi subtilitas venit.

Subtilitatem infans ab ea petiit, quæ subtilis esse debuit, ut *Deipara* esset, accepit ea lege, ut subtilitatem *Conceptæ Matris* defenderet. Inde illi subtilitas tanta, ut ipsum etiam nomen subtile sit: nec alius esse debuit Alumnus Virginis, & futurus Patronus.

Philosophiam sic excoluit, ut ejus inventor esse posset, nisi natam invenisset. Ità Aristotelis discipulus, ut doceri ab eo Aristoteles vellet, si viveret.

Augustini tantus Interpres, ut eum Augustinum diceret, si Scotus non esset. In Theologia æquavit S. Thomam, si superare non potuit: & nè unicus esset Theologiæ princeps eam in duo Regna divisit.

Sed nihil melius probavit acumen Scoti, quam Subtilitas *Conceptæ Virginis*. Agitabatur à filiis origo Matris, quam Scotus impuram nolebat, nè Deum inficeret. Ducenta Adversariorum argumenta ità repetiit, ut dubitatum sit, an Deus suggereret: ità dissolvit, ut nemo dubitaret, quin DEUS cum homine responderet. Adduxit rationes tam sacras, ut in ejus verba Sorbona juraverit. Decretum est, nè quis admitteretur ad lauream, nisi hac in parte Scotista esset. Adjectum est votum celebrandæ Conceptionis, ut quot annis cum Virgine *Scotus* triumpharet.

Non arrogavit sibi eam victoriam, quam miraculum pepererat. Dum ad pugnam pergit, oravit Virginem in imagine; & imago respondit. Inclinauit caput imago faxea, ut opem annueret. Adhuc perseverat inclinatio, nè quis de antiqua victoria dubitet, quæ quotidie nova est.

Attollere hæc omnia *Scotum* poterant, nisi Minorita esset. Coloniam destinatus, ut ibi sapientia coloniam institueret. Perrexit insalutatis Parisiis; ut obedientia cæca esset. Ibat pedes, Vir triumphò dignus, satis oneratus *Scoto*, nisi subtilis esset. Progressa obviam Colonia eò majorem venerata est, quò aspexit Minorem.

Redintegratâ Conceptionis pugna renovavit victoriam. Vicit discipulos Coloniam, qui Parisiis Magistros vicerat. Non incruentâ tamen victoriâ, dum post pugnam interiit, Martyr immaculatè *Conceptæ Virginis* appellandus; seu merita vitæ, seu mortis calumnias spectes. Tu nè fabulis crede, miracula consule.

Et mirare ingenium *Scoti*, paucis annis tam multa scripssisse, ut iis legendis vix alter sufficiat. Pugnat voluminibus cum D. Thoma; scripturus plura, si scripssisset minùs subtiliter. Uterque Doctor, ille *Angelicus*, hic *Subtilis*: sed hic subtilis esse non posset, nisi *Angelicus* esset.

Progredior ulterius, & quidem ad Ordinem S. Benedicti: Jacobus Breullus Benedictinus antiquit. Parisiensi lib. 2. cap. 704. narrat. *Scotus Doctor subtilis, cujus memoria nunquam est peritura, præsertim inter scholasticæ Sapientiæ Doctores ob eruditionem, quam scriptis suis inseruit, hæreticorum impietati retundendæ opportunam.*

Ex Ordine S. Augustini adduco Paulinum Berti, qui in vita Scoti testatur, quòd Joannes Duns cognomento Scotus velut alter Apollo floruerit.

Adest ex Ordine Carmelitarum Nicolaus Audec in Sac. Poëmate dicens: *Altiùs Scotone, vel doctiùs unò dogmata sacra docet.*

Accurrit etiam ex Religione Servitarum Angelus Aretinus Generalis præfati Ordinis, qui libros Scoti vocat *mirificum Sapientiæ munus, & profundissimum intelligentiæ pelagus.*

A sacris Religionibus consecratos accedo Episcopos, & quidem Joannem Læssæum Episcopum Rossensem lib. 7. suæ Historiæ paginâ 250. dicentem: *Scotus fuit Ingenii acumine, vi judicii, & doctrinæ cognitione ità pollens, ut Theologiam illam reconditiorem, quàm scholasticam vocant, multis subtilitatibus exquisitis felicissimè augmentaverit, in quibus multa, quæ in obscuro posita latebant, à tenebris acerrimi sui ingenii perspicentiâ eruerit.*

Hieronymus Magnanus Episcopus Buduensis hoc tenet de Scoto: *Inter fidos arcanorum divinatorum interpretes Joannes Duns Scotus nequaquam postremas obtinet partes, si aquilinum intuitum, si suum digestum studium observemus.*

Hieronymus de Ferrariis apud Paschalinum Venetum in præfatione ad repertorium Scoti sequentia subministrat legenda: *Scoti nomen non ignotum est, insitum illi acumen, & innatam subtilitatem extorquere, erit difficiliùs, quàm è manibus Herculis clavam excutere.*

Ad Archiepiscopos me jam converto: Mauritius Hybernicus Archiepiscopus Tuamensis de Scoto recenset: *Elevabitur aqui-*

aquila, in arduis ponet nidum suum, hoc est, secundum ipsum: Nullus ad naturæ divinæ secreta revelanda altius volavit, mentisque aciem firmitus affixit, quàm Scotus,

Christophorus Marcellus Archiepiscopus Corcyrensis in laudem Scoti hoc innuit: *Laudatissimum, & extra omnem æquiparationis aleam positum Joannis Scoti ingenium non opus est modò, ut laudibus extollamus, sed doctrinæ illius cultores assidud commendemus.*

Jam ad Januam Patriarcharum pulso: Antonius Contarenus Venetiarum Patriarcha, Dalmatiæque Primas in Epist. ad Antonium de Fantis *Scotum omnium Philosophorum, ac Theologorum acutissimum appellat.*

Ad Eminentissimos purpuratos Patres me accingo: Bessarion Cardinalis in Concilio Florentino ad conciliandos Latinis Græcos ipsissimam Scoti Doctrinam usurpavit, in primo distinct. II. quæst. prima.

Stanislaus Osius Cardinalis unius Scoti autoritate ex quodlibeto 20. totam Ecclesiæ Catholicæ sententiam de Missæ efficacitate corroborat contra Brentium hæresiarcham, quamvis, ait, multi sint, qui tractant quæstionem hanc, utrum Sacerdotis mali missa tanti sit valoris, quanti est Missæ Sacrificium sacerdotis boni, & in statu gratiæ existentis (pertractant quæstionem istam S. Thomas, Albertus Magnus, Bonaventura, Joannes Gerson, Gabriel Biel, & plures famosissimi alii Doctores) nos tamen vel unius Joannis Scoti testimoniò contenti erimus ad manutenendum valorem eundem utriusque sacrificii.

Constantinus Sarnanus Cardinalis ex Ordine nostro Conventualium, dum de vetustis Doctoribus Scholasticis sermonem instituit, ità subjunxit: *Inter quos Joannes Duns Scotus, velut sol inter rutilantia Doctorum sidera lucidissimus acerrimo ingenii acumine, subtilitate, ac profunditate miræ doctrinæ præ cæteris omnibus subtilissimus Doctor coruscat.* Ità ille in Epist. præliminari operum Antonii Andrææ.

Sacra Romanæ Ecclesiæ Concilia invoco: super quæ audiatur Antonius de Fantis in sua Epist. dedicatoria Scotici re-
 pertorii de Scoto similia pronuncians: *Quis in dialecticis ar-
 gumentationibus acutior? quis in peripatetica Philosophia profun-
 dior? quis in sacris enodandis mysteriis Scoto vigilantior?* Pluri-
 ma excellentium virorum volumina in publicis Conciliis erant
 ventilata, examinata, ponderata, eorúmque quidam falsita-
 tem olentes articuli sub excommunicationis nota sunt pro-
 mulgati; Scoti verò opera omnia usque in hoc imminens tem-
 pus ab omni censura perstiterunt inviolata.

Nulla dies unquam memorandò hunc excimet ævò,

Omne est laudis opus, quod sine labe parat.

Ad hoc propositum magis stabiliendum superveniat Antonius
 Possevinus supra citatus, & ratione Conciliorum Ecclesiæ pu-
 blicè fatebitur, quòd libri Scoti circiter trecentis annis, & ul-
 tra in omnibus æcumenicis Conciliis, & hodiernum usque
 in diem permaneant immunes, & congruum viderur, ut ille,
 qui nullam maculam in Deipara admittere voluit, etiam cum
 nulla macula sua opera congereret.

Audiatur etiam Concilium Tridentinum, in quo Jacobus
 Bargius hoc effecit, qui ad Scoti mentem in I. dist. 17. quæst.
 1. & 2. protulit quæstionem, quam à sacra synodo approbatam,
 & juxta Scoti placita definitam, à Spiritu Sancto illustratam
 nuncupârunt. Huc non incongruè pertinet decretum sacre
 Congregationis Cardinalium ante annum 1620. pro doctrina
 Scoti favorabiliter sancitum, quò strictè præcipitur Doctrina-
 rum, aut librorum Scoti censoribus, ut quidquid Scoti esse con-
 staret, intactum, & inviolatum admittatur. Ità Cavel. in vita
 Scoti cap. 5. & Wadingus tom. 3. annalium Religionis in vita
 ejusdem.

Appello demum Summam Sedem Apostolicam, in qua se-
 dentes Paulus Quintus, & Gregorius Decimus quintus Scoti
 sententiam extulerunt, ejus traditionem tam clàm, quàm pa-
 làm

lâm admittendam esse, cum magnis recommendationibus id ipsum habere statuerunt. Nunc ergo si in ore duorum, vel trium juxta sacrum Evangelium stat omne verbum, cognosces ex ungue Leonem, ex pollice gigantem, ex tot authenticis testimoniis nonne asseres? Seraphica Religio magnum virum genuit Joannem Scotum Defensorem Dominæ. Hoc, & plura alia verissima esse affirmat Nicolaus Andecti Carmelita Terræ Sanctæ Provincialis ita canens in libros Scoti:

*Quid Deus est causæ? cunctarum fatâque rerum?
 Astra quid? & Superi? qua ratione Lares?
 Grande sophos? mundi miracula? & abdita? multi
 Scripsere, & nitidè pagina culta dedit.
 Altior at Scotò nemo, vel doctius unò
 Tergemini docuit dogmata sacra Dei.
 Gloria Cecropiæ, veteres superare Minervæ,
 Quæ potuit, Scotus frugifer ille fuit.
 Longus, & hic brevis est, mirandus, floridus, asper,
 Sermone is minimo maxima særsa refert.
 Dum ritus memorat sacros, cultisque Deorum,
 Ipse aperit miris stemmata sancta modis.
 Et cum contendit causas penetrare latentes,
 Nil dici humano doctius ore potest.*

CAPUT OCTAVUM

Alia sentimenta doctissimorum Authorum
 de Libris Scoti.

Confirmant plurimorum scriptorum testimonia prærogativas, & illa elogia de Scoto ab aliis enunciata, propter quæ profunditatem, & subtilitatem in suis operibus commendant, multisque titulis reddunt illustrem suam Doctrinam. Plura suis locis dedimus supra, nova alia attestata hic libet subtrudere.

Eximius P. Cælestinus Herman Ord. S. Benedicti ad S. Trudbertum sic se declarat : Scotus Princeps Theologorum ,
 cujus Doctrina extat tantæ subtilitatis, ut plus sit in admiratio-
 ne, quàm ut quis illam suò ingenio assequi possit. Tantæ inf-
 per extitit pietatis, ut esset summus amator Christi, ejúsque
 sanctissimæ Matris, cui in votis semper fuit hæc unica maxi-
 ma : in recommendando Christum se magis velle excedere,
 quàm deficere, & si propter ignorantiam oporteret in alteru-
 trum incidere, *malo esse ignorans, quàm non abundè Deum, &
 Deiparam magnificans.* Ulterius pergit author citatus : *Ejus
 Doctrina tantæ est æstimationis in Ecclesia, ut jam à multis sæculis
 in omnibus Conciliis (corroborat, quod suprà relatum est) æcu-
 menicis illa inviolata, & immunis ab omni macula erroris (quod
 de non multis refertur) hætenus permanserit.*

Baptista Mantuanus in suis fastis dicit : si possibile foret,
 quòd DEUS possit vocari creaturarum debitor, & quòd cum
 Ecclesia Romano-Catholica aliquid alicui hominum solvere
 teneretur, essent tuò modò & DEUS, & ejusdem vera Eccle-
 sia debitor Scoti, asserens :

*Si fas est homini, DEUM teneri,
 Scoto Religio, Deusque debent.*

Bernardinus Corius de rebus Mediolan. parte 2. ad annum
 1305. hæc revelat : *His diebus Fr. Joannes Scotus, cognominatus
 Doctor subtilis, tanquam hujus sæculi phœnix inter eos, qui Chri-
 stianam fidem illuminant, superstilit.*

P. Joannes Glarola sentit : *Scoti præconium non tantum
 meam, verùm etiam facundissimi cujusvis oratoris excedit facun-
 diam, & quia publica hujus Viri virtus jam diu citra controver-
 siam primas obtinet partes, privata laudatione non indiget.*

Hieronymus Magnani hoc delineat Encomium Scoti :
*Multum debent procul dubio bonarum artium cultores Prisciano,
 nec minùs Ciceroni, qui aptè, & concinnè verba facere docuerunt ;
 debent Aristoteli, qui absolutiùs Logicam, & Philosophiam emu-
 clea-*

gleavit; debent Avicenna, & Plinio, qui rerum naturas explanârunt; debent Euclidi, qui mensuris, & numeris opportuna metitur; debent Ptolomæo, qui mirò ingenio terras, maria, nec non sidera, & orbes cœlicos posteris lustrandos declaravit; debent Herodoto, & Livio, qui res gestas velut præsentis ostendunt: debent Homero, & Virgilio ob Poëticam jucunditatem; debent Justiniano, nec non Gratiano utrumque Jus & Civile, & Canonicum complectentibus; verùm Scientiarum cultores Christianis Theologis magis tenentur, qui ob morum probitatem divinitus afflati inscrutabilia summæ Deitatis arcana, quæ ad bene, beatè, semperque optimè videndum conducunt; inter quos Joannes Duns Scotus nequaquam posremas occupat partes, si suum aquilinum intuitum, & digestum studium bene observemus.

P. Bernardinus de Cherio P. P. Observantium Generalis hæc substituit: *Etsi clarissimi in omni virtutum genere Viri buccisque in diem floruerint, qui universam ferme naturam multiplici speculationum methodo fuerint perscrutati; tamen inter ceteros veritatum exquisitores Joannem Scotum (pace omnium dixerim) ducimus extollendum, qui difficillimas rerum cunctarum quæstiones, & latentes rerum intelligibilium proprietates admiranda aded speculationum subtilitate indagavit, ita, ut quis in dialecticis acutior, vel in orthodoxæ fidei dogmatibus enodandis fuerit vigilantior, pauci admodum, vel nemo sit, qui tantam intelligentiæ frugè mortalibus attulerit.*

Antonius de Fantis denuò supperaddit: *In sententiarum Scoti voluminibus approbator, & locupletior Doctoris intentio, subtilitatis apex, & secretiora Deitatis mysteria continentur, quæ admirabili speculatione supra mortalium ingenia elucrubata sunt, ut in difficillimarum quæstionum decisione, abditissimarum sublimitatum perscrutatione, nec non diligentiori divini vigoris ampliandi cura, tam circa secretiores Trium Personarum Origines, quàm totius universi mirificam efficientiam, cui conferendus sit, facile sit nemo.*

Henricus Willot testem agit: *Tales subtilitatis rivus profundit Scotus, ut Doctoris subtilis nomen omnium calculò sibi congruentissimum adinvenerit; ut alter Apollonius ex omni climate ad*
in star

instar magnetis ad se traxerit discipulos, fecitque, ut nihil usque ad hæc nostra tempora aliud Philosophica, & Theologica Gymnasia præter Scoti nomen personarent. Suo tempore quisque egregiè beatus sibi videbatur, qui eo duce sacræ Theologiæ aditus tanquam sagacissimo Mercurio præeunte feliciter ingrediebatur.

Paulus author vetustus, & doctus in Imo Prolegom. sentent. dum ageret de illis, qui Theologiam suis lucubrationibus famosè illustrarunt, inter quos, inquit, *unum aliis pluribus præstantiorem Joannem Duns intueor, qui prædicta omnia tam clarè, tam luculenter, tam subtiliter enolavit, ut meritò omnibus admirandus, omnibus venerandus, & omnibus sit charitate amplectendus. Ejus sententiæ sunt profundæ, & ut patet, sæcundæ, cùm frequenter decem, vel viginti propositiones non minùs veras, quàm utiles, sicut Homeri Iliadem in una nuce, in una dilucidatione breviter includat, hujus meæ vocis testes advocabo potentissimas, & nobilissimas in Europa gentes, à quibus exactam Doctoris hujus eruditionem à Senioribus accepimus. Primùm testis est Gallia, quæ ipsum oretenus audivit; testis Scotia, Anglia, & Hybernia, quæ de suo Cive æmulatoriè concertant; testis Oxonium, & Colonia, in quorum Doctorum subfelliis dignissimè sedit; testis Italia, per cujus circuitum doctrina ejusdem est honorificè promulgata; testis Germania, quæ uno corde, uno animo, non autem una manu, bene verò duabus ulnis eum amplexatur. Quemadmodum de Homero veteres dixerunt illum omnium disciplinarum officinam esse doctissimam, ità in Scotum concurrunt plurimi illum omnium præconiorum Idæam asserentes.*

Worinlongus in fine sentent. fidem facit: Scotus, Doctor antiquus, honor studii Parisiensis, mentes suspensas faciens præ stappore, cujus dicta communem transcendunt facultatem. Idem author in princip. sentent. Scotum his verbis alloquitur: In Universitate Parisiensi tantà sapientià eras plenus, ut Doctoris subtilis nomen fueris aquirens; tuam doctrinam tua opera nullus er-

ror maculavit, præcipua scribebas, dum tuam Logicam incipiebas, ità dicebas: O DEUS! qui es terminus sine termino, inspira, qualis sis terminus. In Scoto multa devotione repleto completum est illud, quod Homerus de Nestore solitus erat edicere: *Exc ejus ore melle dulcior fluebat oratio.*

Gerardus Mercate in Atlante tab. Ima de Scotia narrat: *Scotus in omni litteratura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, in Scripturis absolutissimus.* Nihil erat, quod superare non potuisset Scoti ingenium, in Scholastico certamine, & de rebus sacris disputandi genere, nihil eò acutius, nihil accuratius, nihil absolutius. Scotum laudibus extollens notat Marcus Antonius Grandi Venetus sequentes versus:

*Invenies isthic magni penetralia Scoti,
Humanis lumen qui dedit ingeniis.
Ecce potes doctâ Lector fulgere Minervâ,
Et vacuos omni flore replere sinus.*

Hieronymus Tiburtinus amore doctrinæ Scoticæ captus infra posita superaddit metra.

*Qui cupis omnimodas rerum dignoscere metas,
Hunc lege, præclaras edocet arte vias.
Hoc Jovis æterni, cœlique arcana recludes,
Hoc demum Unigeni Numina jura DEI.
Nec minus anfractus hominum, callésque sophista,
Sensibus amotis omne patebit iter.*

CAPUT NONUM

Nova Scriptorum testimonia de Meritis Scoti.

Quemadmodum ad clangorem buccinæ omnes oportet festinanter convolare milites, ità ego, dum quasi tuba ex alto vocem meam, famam Scoti ore, & calamo pronuntio, clamo, & insinuo Scoti panegyrim, adhuc cater-

vatim accurrunt undique Præcones, & Scoti Encomiastes se demonstrant absque numero novissimi.

Præsentat se Guilielmus Eifengrenius de testibus Catholicæ veritatis ad annum Christi Domini 1303. *Joannes Duns, quem multi Doctores vocant subtilissimum, & Principem Theologorum, fuit in omni litteratura versatissimus.*

Henricus Tolli: *Hujus viri natales dum exploro, idem illi, quod Homero, & omnibus iis, qui in quocunque genere disciplinarum excelluerunt, contigisse video. Cùm enim Regiones, & populi inter se certent, quis sit gloriosior, plerumque evenit, ut quilibet suum esse proprium concivem gloriatur. De Scoto variæ sunt opiniones, alii in Anglia, alii in Scotia, alii in ulteriori Britannia ad Calcedoniam Sylvam ortum esse autumant. Partim Oxonii, ut supra relatum est, partim Parisiis sacrae Theologiæ instituta hausit, hausta suis copiosissimis discipulis propinavit, propinata discipuli suis successoribus ad eibendum porrexerunt, porrecta promulgârunt, promulgata per totum terrarum orbem Scoto immortalem procurârunt gloriam. Tales subtilis Doctor haustæ, propinatae, porrectæ, promulgatae subtilitatis rivos profudit, quod Doctoris subtilissimi nomenclaturam omnium unanimi adeptus fuerit calculo: laus mea meritis illius omnino impar censetur.*

Hector Poëtius lib. 15. *Joannes Duns Scotus sub Divi Francisci instituto sanctissimo tantæ eruditionis Theologus, ut ejus ingenio illud sæculum censeri possit indignum.*

Volaterranus in antropol. *Per id tempus Joannes Scotus Universitatem Parisiensem magnopere illustravit.*

Georgius Ragusejus in disput. 2. peripath. cap. 7. *Dum ego adhuc Juvenis Philosophiæ studerem, & potissimum doctrinae Scoticæ operam navarem, quod me aptius in subtilioribus disputationibus, quibus mirificè sum delectatus, exercerem, Scoti semper sententiam tam in privatis exercitationibus, quam in publicis congressibus sum secutus.*

Antonius Roccus in Præf. ad librum *Physic.* *Nec alia de causa potius Scotum, quàm alios Doctores sequi decrevi, nisi quia ipsius doctrina, sicut alias subtilitate præcellit, sic magis peripatetica, firmaque, prout scio, redolet veritatem.*

Gregorius Pomus in Epist. ante Comment. *Scoti ingenium sine exemplo maximum fontem ingeniorum appello, in quo hoc præcipuum, quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post ipsum, qui illum imitari posset, sit inventus.*

Scaliger exercitat. 324. *Alacre Scoti ingenium, qui Scotum liam veritatis appellat, ingenio Aristotelico æquiparat.*

His igitur de causis celebriores Orbis Universitates doctrinam Scoti profitentur, ac in tanti Doctoris venerationem floret cathedra ejus doctrinæ destinata in Universitate Bononiensi, Patavina, Perusina, Papiensi, Pisana, Taurinensi, Ferrariensi, Complutensi, Salmanticensi, Conimbricensi, tandem Romana, & in Seraphica Franciscana Religione per totum terrarum, & marium orbem diffusa, & adhuc in aliis quam plurimis Universitatibus à Seraphico sacro Ordine distinctis.

Inter eos autem, qui Scoti doctrinam illustrârunt, fuit Antonius de Fantis, qui tabulam generalem de scriptis Scoti in lucem emiserat. Quarum prima materias omnes per Scotum pertractatas enumerat. Secunda decisas conclusiones circa præfatas materias explicat. Tertia præcipuas entium definitiones tractat. Quarta subtilissimas divisiones ex omnibus Scoti voluminibus congestas in ordinem redigit. Quinta regulas in explicandis rerum omnium proprietatibus legenti detegit. Sexta propositiones tanquam certa theoremata pro decidendis conclusionibus ex Philosophiæ penetralibus deprompta demonstrat. Septima plurimas sanctorum Interpretum ambiguas propositiones, nimirum: Ambrosii, Augustini, Hilarii, Gregorii, Damasceni, Anselmi, & aliorum dilucidat. Octava, quæ omnium sectio uberior, & fructuosior,

Epitomen Scibilium, seu magnum Scoticarum speculationum omnium continet.

Petrus Aquilinus Ord. Minorum cognomento Scotolus, per quem non solum ad Scoti subtilitates, verum etiam ad Divi Thomæ, & reliquorum Scholasticorum doctrinam intelligendam facillima præparatur via. Hic author ab aliis postmodum scholasticis Scriptoribus est auctus duobus indicibus, altero quæstionum, altero verborum.

Præterea fuit Paulus agnomine scriptor, qui cum quæstiones Scoti in lib. 1. sentent. Tubingæ, quæ tunc erat Catholica civitas annô Domini 1498. exposuisset, sic ejus liber Principe Alberto Pio id procurante est editus in lucem annô 1506. à Benedicto Ducibello.

Gratianus Brixienfis dum in quæstiones Scoti in secundum lib. sentent. doctè scripsisset, sub ejusdem Principis tempore, typographô, locô, & annô in lucem editus est.

Franciscus Lychetus etiam natione Brixienfis commentaria erudita in tres primos sentent. libros, & in quodlibeta Scoti cum absolvisset, tandem à Pagnino de pagninis pariter Brixienfi annô 1517. evulgata sunt Venetiis. Denuo in omnes sententiarum Scoti libros ab Andrea Zenario opus exiit Venetiis in lucem.

Petrus Tartaretus scripsit reportata in quatuor sent. Scoti libros, & in quæstiones quotlibetales ejusdem, quæ annô 1520. & annô 1519. à Claudio Chavelerio typographo Parisiis sunt excusa.

Joannes Vigerius Genuensis scripsit in primum lib. Sentent. Scoti, quod opus Venetiis annô 1527. edidit Joannes Taurinus de Tridino.

Hieronymus Gadius, qui per 20. annos in publico Bononiensi Gymnasio plausibiliter docuerat metaphysicam, scripsit in quodlibeta Scoti, quæ in eadem civitate ex officina Joannis Baptista Paelli in typo prodierunt annô Domini 1533.

Jacobus Malafossius Bargius, qui & ipse Patavii 47. annis publicè est professus metaphysicam, scripsit enarrationem in primum sentent. Scoti, quem librum Gratiolus Percacius 1560. Paduæ Prælo commendavit.

Accessit aliud opus cum hac inscriptione: *Repertorium locupletissimum tam librorum & sententiarum, quam quodlibetorum Doctoris subtilis Joannis Duns Scoti olim ab Hieronymo hæreticæ pravitatis inquisitore Ferrariensi collectum; nunc, opera R. P. Julii Hislopii Lectoris Patavini in lucem editum.* Opus maximo usui futurum non tantum Scoti, & D. Thomæ Doctrinam profitentibus, sed & omnibus Theologica seriò tractare cupientibus. Venetiis apud Melchiorem Sessam annò 1588.

Conitandinus Sarnanus Romæ 1589. edidit apud Dominicum Basam librum, qui est inscriptus: *Conciliatio dilucida omnium Controversiarum, quæ in Doctrina Divi Thomæ, & Joannis Scoti leguntur.*

Præ cæteris omnibus optimè explanavit Scotum P. Bartholomæus Mastrius de Meldula Minorita Conventualis. Quantus fuerit Mastrius, præter ejus opera in æternum victura, fatetur illustre Paduanum lycæum magnam se in obitu illius passum fuisse jacturam. Quod celeberrimum lycæum licèt gloriari possit se quibuscunque temporibus doctissimos sortitum esse in omni arte Magistros; tamen Mastrii memoria nunquam evanescet, perstabit solida, nec dierum allisu, nec annorum concursu poterit labefactari.

Nè itaque prolixus, aut nimium in Doctoris mei subtilis laudes effusus animadvertar, præmitto sexcentos alios Doctrinæ Scoticæ Encomiastes, & pro coronide suorum encomiorum omnes admonitos velim Scoticos sive Philosophiæ, sive Theologiæ candidatos, præsertim antequam Theologicam facultatem accesserint, sunt prius solida in ejusdem Philosophia jacienda fundamenta, postmodum sunt illa curanda, ut ex doctrina Scoti omnia rectè legant, capiant, & plene

nè intelligant. Ad hoc negotium permultum conferet , ut præ manibus habeant Philosophiam ipsius naturalem ex quatuor libris sententiarum , & quodlibetis collectam à Patre nostro Minorita Conventuali Philippo Fabro , ibidem Doctrinæ Scoticæ succum reperies , quem invenit P. Benedictus Dalmaza Ordinis Minorum , & desuper sua Poësis ita cantat :

*Scotus subtilis , quem sancto Numine plenum
Haud latuit quidquam , quò nullus acutior unquam
Exitit , & minus est , nec spes est ulla futuri.
Sit decus ergo tibi , laus , fama , & gloria , virtus ,
Concelebrent docti dignis tua scripta trophæis.*

CAPUT ULTIMUM

De vera Effigie Scoti.

IMago ab imitando , quasi imitago , deducitur , quia representat rem per quandam illius imitationem , ex qua similitudo quæpiam nascitur , juxta illud Genes. cap. 1. *Fecit DEus hominem ad imaginem , & similitudinem suam.* Titulus hujus libri in frontispicio conspiciendus sic est expressus : *Vera effigies Joannis Duns Scoti.* Ad effigiem aliquam efformandam (dixi in libro primo hujus operis) præprimis requiritur tabula rafa pro pingendo adaptata , pro imagine Scoti effigianda tot sunt in hoc libro tabulæ pro delineatione accommodatæ , quot enumerantur folia in ambabus partibus conscripta ; munus penicilli subivit hucusque calamus ; de coloribus ad hanc picturam fit mentio in libro secundo , in cujus principio legitur : color viridis repræsentat spem , color purpureus humilem violam , color albus castitatem , color flavus solsequium obedientiæ symbolum , color obscurus paupertatem , color pallidus verecundiam , & modestiam ,

CO-

color rubeus patientiam, & morale martyrium in adversis. Prænominatos hos metaphoricos colores, benevole Lector, adapta, coapta, misce, commisce, pinge, depinge, & admirandus intueberis artificiosum omnium virtutum compendium in Scoto adamussim repræsentatum. Stat Scotus ante tuos oculos in uno colore flavus, & obediens, in uno colore candidus, & purus; in uno colore obscurus, & pauper, in uno colore purpureus, & humilis, in uno colore ruber, & patientis, in uno colore pallidus, & verecundus, stat modestus in oculis, compositus in manibus, silentiosus in lingua, tardus in loquela, maturus in moribus, humilis in persona, & gravis in incessu:

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Vide, & considera effigiem Scoti, sed hucusque depictam necdum ex integro perfectam; desunt huic picturæ quædam delineamenta in libro tertio conspicienda. Scotus non duntaxat fuit virtuosus, sed etiam studiosus. Aliud lineamentum in suo capite est Doctorale biretum, aliud lineamentum in suis humeris est Doctorale pallium; aliud lineamentum est in suo ore flumen eloquentiæ, aliud lineamentum in sua manu Doctoralis liber, aliud lineamentum est in situ sui corporis Doctoralis cathedra. *Cujus est imago hæc?* Joannis Duns Scoti Doctoris nostri subtilissimi.

*Jam bene conveniunt, & in una sede morantur
Et studium, & pietas.*

Fabula Poëtarum est, quæ hîc subnectitur: finxerunt quondam Poëtæ, Deos, & Deas publica honorifica semel celebrasse comitia, prout moderno temporis cursu solent Regna, aut Provinciæ more assueto suas solemniter celebrare Dietas, in quibus Regionum emolumenta, Regnorum commoda, negotia pro Imperio maxime proficua serio proponuntur, prudenter discutiuntur, maturè ponderantur, sollicitè ventilantur,

&

& tandem ad totius Reipublicæ incrementum iusta bilance decernuntur. Similia itaque comitia secundùm fabulantes Vates Dii, & Deæ cum summa magnificentia instituerunt. Inter cætera pertractata negotia novum Numen muliebri nomine Pandoram, unanimi cœlesti calculo efformari seriò statuerunt hac cum adjecta conditione, ut quilibet DEUS, quælibet Dea huic Pandoræ singulares suas virtutes, proprias excellentias, & innatas prærogativas in aliquo gradu communicaret, ià, quòd in omnibus Diis, & Deabus de suis prædicatis, actis, & factis hucusque erat dispersum, in unica Pandora tanquam in compendio fieret coacervatum.

A Jove Principium, Jupiter liberaliter huic Pandoræ obtulit omnipotentiam, & cum Jovis sint omnia plena, hæc obtinuit ab eodem plenitudinem potentia. Saturnus obtulit ter faustam longævitatem, ut illa semper cogitaret dies antiquos, & annos æternos in mente haberet. Apollo obtulit inexhaustam sapientiam, ut illa Sapientiæ Ducissa esset, & sapientum emendatrix. Mars obtulit animosam generositatem, ut illa destrueret omnem inimicum, & ultorem. Janus obtulit circumspectam providentiam, ut nunquam sit sollicita in craftinum. Mercurius obtulit agilem dexteritatem, ut velociter gyrum cœli, & profunda abyssi penetraret. Cupido obtulit trahentem magnetem amoris, ut illa singulos traheret in odorem, & amorem. Argus obtulit quotidianam vigilantiam, tametsi ipsa dormiret, cor nihilominus semper vigilet. Bacchus, & Ceres obtulerunt multiplicem frugum abundantiam, in fructu frumenti, vini, & olei.

Post hanc maximorum munerum distributionem à Diis institutam sedentes, & Deæ in hoc speciali congressu celebrârunt quasi comædiam pro distribuendis Pandoræ præmiis; Novæ Musarum chorus illi gratiosè contulit omnem docibilitatem ad artes liberales; Minerva humanissimè obtulit
omne

omne genus scientiarum. Diana obsequiosè detulit animi exhilarationem; Venus paratissimè concessit venustatem corporis; Cybele Mater Deorum lubenter favit ipsi fœcunditatem; Suada immediatè illi infudit eloquentiam; Juno liberaliter ei subministravit omnium rerum opulentiam; Flora abundanter suppeditavit omnis sortis decorem. Nemesis non indefessa suggestit eidem justitiam; Parcæ donârunt illi immortalitatem; Charites gratiam, & Nymphæ morum suavitatem. Hæc est fabula, sed ad meum propositum figura veritatis.

Si fas est dicere de viris doctissimis: *Ego dixi, Dii estis, & Filii excelsi omnes.* Lombardus famosissimus Magister Sententiarum cum suis scriptis doctissimis Scotum expolivit in Theologicis, Bonaventura Doctor Seraphicus excoluit in Scripturificis, Albertus Magnus illuminavit in naturæ arcanis, Aristoteles ornavit eum in Philosophicis, Archimedes imbuït in Geometricis, Ptolomæus in Astrologicis, Cicero in elocutionibus, Plato in morum gravitate, Demosthenes in suavitate sermonis, Lycurgus in affabilitate, Diogenes in mansuetudine: Socrates in patientia, quod apud alios famosissimos viros hinc inde erat divisum, omne illud in Scoto videbatur congregatum. In Theologicis itaque repræsentat Lombardum, in Scripturificis Bonaventuram, in naturæ arcanis Albertum, in Philosophicis Aristotelem, in Geometricis Archimedes, in Astrologicis Ptolomæum, in elocutionibus Ciceronem, denique unus se repræsentat in omnibus, de hoc quæro: *Cujus est imago hæc?* Joannis Duns Scoti Doctoris nostri subtilissimi.

Hæc est effigies Scoti non quoad figuram corporis, sed ad expressionem animi; ad constitutionem sui corporis, si libet audire, pro clausula progrediamur. Ex ossibus alicujus hominis demortui etiam potest conjecturaliter desumi indoles, & constitutio corporis; duo signa ex Calvaria Scoti

præparatus adferam, quæ designabunt præclaram corpoream suam imaginem; signa etenim physiognomica sunt certæ quædam notæ, & accidentia corpori, ex quibus in latentium non modò corporis, sed pariter animi affectionum notitiam deducimur.

Dos prima inter corporeas perfectiones consistit in capite bene conformato, & concinnato; ad hoc autem duo potissimum prærequiruntur; primò ut caput sit justæ magnitudinis, hoc est, ut simile caput sit capite mediocri paulò majus servatâ proportionem reliquorum membrorum corporis; nam cum ratiocinatio exerceatur localiter in cerebro, sic ubi magna reperitur copia cerebri, æquum erit secundum naturalistam judicare facultatem rationalem in tali capite esse bene constitutam. Secundò ut figura capitis (ex sententia Avicennæ, Palæmonis, Galeni loquor) sit oblonga ante, & retro, causa hujus asserti ex principiis Physiognomiæ hæc reddi potest: quod nempe hæc ratione neque actio memoriæ, neque imaginationis, neque intellectiois, quarum prima exercetur in occipitio, altera in syncipitio, tertia in medio capite, impediatur. Nunc ergo hujusmodi indiciis affectum caput est index maturi judicii, & optimæ intelligentiæ domicilium. Hæc omnia hucusque recensita ad nutum verificantur de Scoto; siquidem hæc allata figura capitis in sua Calvaria per trinas translationes à plurimis visa est genuinè sic reperta.

Dos secunda desumitur à fronte, & naso; de fronte loquitur Nicquetius in sua physiognomia: hæc neque sit parva, dicit, & angusta, neque adèò rotunda, neque magno-pere tensa, sed frons sit debitè quadrata, magis aliquantulum longa, & minùs lata, talis frons designat hominem ingeniosum, & sagacem; talismodi frons in eruditione sepulchri inventa est in capite Scoti. Quod nasum concernit, de illius designatione testimonium præbet Aristoteles, qui nasum

sum aquilinum infallibilem asserit esse signaturam hominis maturi, docti, & prudentis. Hoc verificatum est in Divo Paulo Apostolo, quem Apameus lib. 25. hist. & Triphon, nasum tradunt habuisse aquilinum. Quantæ extiterit doctrinæ Paulus testantur omnes suæ Epistolæ, testatur Romano-Catholica Ecclesia, quæ Paulum titulô Apostoli per antonomasiam condecorat, testatur incarnata Veritas: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus.* Antiocho, cui occipitis nomen datum est, nasum incurvum tribuit Possidonius. Cyrum Persarum Monarcham nasô aquilinô insignitum fuisse, complures historici commemorant; imò apud Persas mos inoleverat, ut neminem, nisi incurvatô nasô dotatum, tanquam prudentiæ signum præferentem ad Imperii sublimitatem collocarent, Mahometus secundus Turcarum Imperator vir magni animi adeò aduncô fuit constitutus nasô, ut narium extremitas videretur labia contingere, erat vir summi ingenii. Teste Jovio lib. 27. Carolo Quinto Cæsari nasus in medio bellè affurgebat, quis, qualis, quantus Imperator iste fuerit? audi: per suam dexteritatem, regnandi sexcenta Turcarum millia fregit, Solymannum semel trecentis, semel plus quàm quingentis millibus armatum à Vienna repulit, bella septuaginta fortiter inchoavit, feliciter consumavit, urbium decem millia, & totidem naves captivavit, in novo orbe octodecim præliis octodecim Reges debellavit, in omnibus tam felix fuit, quòd illum Gallia compellaverit Herculem, Italia Davidem, Germania Carolum Magnum, Sicilia Scipionem Africanum, Hispania Alexandrum Magnum, Turcia Julium Cæsarem, & formidabilem Affrica Hannibalem. Ad Scotum redeo, quisquis ejus imaginem, vel pennâ delineatam, vel colore pictam, vel cuprô pressam vidit unquam, semper in sua facie nasum vidit aquilinum. Judica ergo ex ungue leonem, ex pollice gigantem, ex aquilino nasô Scotum
 pru-

prudentem, Doctum, & ingeniosum. Aperi ergo oculos tuos Zoile. Si cæcutis, & livor, aut invidia est in oculis tuis, porrigo tibi perspicilia, scilicet pietatem & doctrinam Scoti, per hæc duo ocularia videbis, quis sit Scotus tam ineffigie sui animi, quam in imagine sui corporis. Si suæ doctrinæ vis acumen addere, cælo addis sydera, aquam fers ad mare, & lucernam attentas à meridie accendere; si Scotum vis docere, docebis aquilam volare, leporem properare, & piscem natere. Si Scoti scripta vis eliminare, cupis Herculis clavam immutare, ignem dissecare, aërem verberare, in saxis seminare, in aqua arare, aquam cribrô potare, & æthiopem lavare. Latrare potes, mordere non potes. Unicam hanc tibi dico particulam interjectionis: *St!* littera *S.* vult ut sileas, littera *T.* ut taceas, digitô compesce labelum, & pacificus vade in pace.

*Est hic subtilis, spreter, tu Zoile, vilis,
 Quod non ipse capis, dente nocente rapis.
 Dogmata sunt verè sua lucem digna videre,
 Scriptaque sunt donis omnia digna bonis.
 Hic pius est author, Misarum stat bene fautor,
 Zoile vade foras, quid trabis usque moras?
 Quæ nescis, odis, cur dogmata talia rodis?
 Quæ non fortè capis, sedula suget apis.
 Aurea scripta vides, cur Zoile scibile rides?
 Si ridere velis, displicet illa chelys.
 Hunc confirmavit, Doctorum turba probavit,
 Est toto Scotus, Doctor in orbe notus.
 Quò magè tu pungis, sic Scotum tu magis ungis,
 Dishonor ille tuus, fit decor inde suus.
 Scotus nostrarum fit gloria, fama, scholarum,
 Est hic solamen, finio carmen, Amen.*



3	16	Angelus
5	9	Steinhufius
7	16	Demothenes
8	14	Saranus
8	27	omnia
11	14	Phebus
13	22	virorum aptè
14	8	Scote lepores
14	9	placuere lepores
14	25	hebreifimo
15	24	det
21	19	minui, & ab hoc
22	15	Nulæ
28	6	opprtet
28	21	percipiatur
28	23	dato ratio
29	21	subfelliis
33	31	hïc substituto
39	9	humilitatem, modestiam
49	3	tristiam
55	8	numicidas
63	30	poteris
67	29	calceamentorum
68	6	significatæ
68	27	Senca
73	31	libettas
76	17	Paraniso
77	6	Uliſſis
77	31	fuspendet
79	6	ſinit
79	28	ce t
80	14	apetit
81	16	collas
85	12	Gondifalvi
85	23	debaccari
87	5	imo
87	24	occurreret aër
91	9	præcepta
93	<i>ultim.</i>	quòd
94	8	llias
95	21	quoddam
102	25	Petſæus
102	34	Aſſifinate
103	33	fronte
107	3	Claritaris
112	5	peſſimi Angli

angulus
Stanihurſius
Demoſthenes
Sarnanus
omina
Phœbus
virorum nomen aptè
Scote lepores
placuere lepores
hebræiſimo
des
minui, ut ab hoc
Nullæ
oportet
percipiatur
dato orati
subfelliis
hic ſubſtituo
humilitatem, & humilem modeſtiam
triftitiam
Numidicas
poſteris
calceamentorum
dignificatæ
Seneca
libertas
Paradiſo
Ulyſſis
fuspendit
ſinit
ceſſit
appetiit
colas
Gondifalvi
debacchari
Imo
occurreret aër
percepta
quod
Iliadis
quodam
Pitſæus
Aſſifate
fonte
claritatis
peſſimi Angeli

Pagina Linea

Errata Typi

Sic corrigantur :


114	2	amictum	amictu
114	15	alumen	almum
115	13	quid	qui
116	20	nequit	nequii
118	20	Sententiæ	scientiæ
127	16	Lector	Doctor
127	26	Rudolphus	Rodulphus
131	5	permanent	peramanter
132	14	Nirenbergius	Nierenbergius
133	2	ternum	tergum
136	3	veniet	venit
140	20	refellit	refellit
144	4	Borti	Berti
145	19	abusos	abusus
147	17	autumnant	autumant
151	13	Quantum	Quintum
152	6	Ruddphus	Rodulphus
153	25	ibi	ubi
155	23	Gósbinch	Gosbrinch
155	28	Daventica	Daventria
156	6	Haberlor	Haveilor
156	9	Daventia	Daventria
157	11	exculpi	exculpti
158	31	Begnacabalenfis	Bagnacaballenfis
159	19	supra prædictum	supra dictum
169	17	sapientia	sapientiæ
171	27	Constantinus	Constantius
175	10	videndum	vivendum
175	26	elucrubata	elucubrata
180	1	seu magnum	seu mare magnum
180	33	Joannis Baptista	Joannis Baptistæ
181	13	Constantinus	Constantius
185	7	Nemesis	Nemesis
186	31	eruditione	erutione
188	9	elimare	eliminare


Plura alia prudentia Lectoris emendabit.


F I N I S.



46631







756045

756045

756045

